Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Sebastian Schmidt Johann Philipp Saltzmann

Fides Miraculosa

Argentorati: Spoor, 1680

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0001
DFG

75.



Fa – 1092 (75)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0003
DFG

75

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0004
DFG

Tomo hoc **XXVIII** continentur:

1. Seb. Schmidii Commentarius in I Ep. Johannis Ed. 1688.
2. — Anal. et Paraph. Epistolæ Jacobi Argent. 1685.
3. — De Fide Mosaica circa Myst. SS. Trinit. 1654.
4. — De Deletione è libro Vitæ. 1655.
5. — De Sacramentis ad Matth. V. et. XVIII, cb. Argent. 1663.
6. — Invectivum Christi in Phariseos Exstat Matth. XV: 1661.
7. — De Didrachmis à Christo Solutis. 1663.
8. — Fides miraculosa. 1680.
9. — De Ficu à Christo arefacta. 1662.
10. — De Merito. 1663.
11. — ad locum Jo. VIII, 25. 1661.
12. — ad locum Jo. VIII, 47. 1661.
13. — Resolutio brevis Cap. IX ad Rom. 1658.
14. — De Primitiis Resurrectionis Christo. 1666.
15. — De Baptismo Superstitionis. 1656.
16. — De Angelis in genere. 1662.
17. — De Peccato Originis. 1657.
18. — De libero Hom. Arbitrio in Spiritualibus. 1658.
19. — De libero Hom. Arbitrio in non Spiritualibus. 1657.
20. — Πίστις προσκαίρος. 1661.
21. — De Imputatione in Opere Justificat. 1656.
22. — De Phrasi Indurare. et excæcare. 1655.
23. — De Ecclesiæ Catholicismo. 1657.

24.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0005
DFG

24. Sebast. Schmidius de Duabus circa Sacram. Circumcis. Propositionibus. 1654.
25. —. De Statu Beatorum in Vita aeterna 1675.
26. —. De Obligatione Form. Concordiae. 1680.
27. —. Tractatus Talmud. Sebachim. cum Annot. 1662.
28. Jo. Frischmuth De Circumcisione Zipporae. 1663.
29. —. De Eli Eli Lamah Sabactani. 1663.
30. —. An Christus Agnum Paschalem eodem cum Jud. tempore ederit. 1674.
31. Balthasar Raithius de Cabala Tulin. 1662.
32. Guilielmus Bajer de Praeda Robusto erepta Jenae 1690.
33. Jo. Fechti Expositio Oraculi Esaiani LIII Argent. 1662.
34. Balth. Scheid de Protevangelio. Argent. 1650.
35. —. Jonae Propheta expositus — 1665.
36. —. Kikajon Jonae. 1653.
37. —. ad caput ultimum Ultimi Prophetae. 1664.
38. Lud. Henricus Munsteri Animalia esu vetita Jenae. 1687.
39. Zentgraff pro Lic. de Eo quod Deum decet Arg. 1677.
40. Georgi Calixti Expositio Literalis Epi Ephesior.

Pro M. Jo. Philippo Storrio
1696. Heilbr.

8.

בס

FIDES MIRACULOSA,

QUAM

Occasione dicti

MATTH. XVII. v. 20. 21.

EXERCITATIONE ACADEMICA

descriptam

ADJUVANTE DEO, MIRACULORUM AUTORE,

SUB MODERAMINE

VIRI

Maxime Venerandi,

DN. SEBASTIANI SCHMIDII,

SS. Theol. D. & Prof. Senioris celeberrimi,

Conventus Eccles. PRÆSIDIS gravissimi,

undiquaque optime meriti,

Patroni Magni, Præceptoris pio & filiali

cultu æternum colendi,

SOLENNI Doctorum Examini sistet

M. JOHANNES PHILIPPUS Saltzmann/

Argentoratensis.

Ad diem *Maij* *A. O. R.* 1680.

ARGENTORATI,

Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0007

DFG

VIRIS

GENERIS SPLENDORE,
OFFICIORUM AMPLITUDINE,
MERITORUM GLORIA,

NOBILISSIMIS,

DN. JACOBO WENCKERO,

&

DN. JOHANNI PHILIPPO SCHMIDIO,

IN S.R.I. LIBERA REPUBLICA ARGENTINENSI
ILLUSTRIS COLLEGII XVVIRALIS
ASSESSORIBUS GRAVISSIMIS,

PATRIÆ PATRIBUS,
PATRONIS MAGNIS,

Inſcriptione hujus Exercitii
THEOLOGICI
Fidem ſubmiſſionis facit,
ſtudiaque
Ulteriori Ipſorum Patrocinio
commendat
TANTORUM NOMINUM
Cliens devotiſſimus
M. Johannes Philippus
Saltzmann.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0008
DFG

בס"ד

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
FIDE MIRACULOSA,
ex
Matth. XVII. vers. 20. 21.

§. 1.

CUm, ut de *Fide Miraculosâ*, quæ vocari ſolet, pro Diſputationis Academicæ modo, hoc eſt, breviter, aliquid meditemur, petitum ſit, elegimus meditationi huic Verba Salvatoris ac Domini noſtri JESU CHRISTI, quibus ad diſcipulos, de cauſa quærentes, quare dæmonium ex puero Lunatico, adipſos adducto à patre auxilium implorante, ejicere non potuiſſent, uſus eſt Matth. XVII. v. 20. & 21. Ita autem illa habent; ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν ἔχητε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ, μετάβηθι ἐντεῦθεν ἐκεῖ· καὶ μεταβήσεται· καὶ οὐδὲν ἀδυνατήσει ὑμῖν· τοῦτο δὲ τὸ γένος οὐκ ἐκπορεύεται, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ. Translatores non inſigniter variant: niſi quod quidam interponunt, quæ commentariis conficienda ſunt. *Eraſmus Roterodamus* ita vertit; *Amen dico vobis, ſi habeatis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, demigra hinc illuc: & demigrabit: neq; quicquam impoſſibile erit*

Proponitur I. pro Materia Diſputationis,

Textus Matth. XVII. v. 20 21.

cum Verſionibus, Eraſm. Roterod.

erit vobis. Sed hoc genus non egreditur, nisi per deprecationem & jejunium. In quâ versione sicut literam ferè exprimit: ita à *Vulgato* non nisi vocibus dissentit. Sic namque *Vulgatus* habet; *Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* **Vulgati.**

Hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem & jejunium. **Syri.** *Syrum Trostius* cum *Tremellio* ita transtulit: *Amen dico vobis, quod si esset in vobis fides sicut granum sinapis, diceretis monti huic, Discede hinc, & discederet: & nihil potentius vobis esset. Hoc autem genus non egreditur, nisi per jejunium & per precationem.* Sed malim ita verti, & literam magis observari; *Amen dicens* (sum) *ego vobis; Si erit in vobis fides sicut granum sinapis, dicetis monti huic; Transpone te hinc, & transponet se: & quicquam non prævalebit vobis. Hoc autem genus non egrediens* (est) *nisi per jejunium, & per preces.* **Arabis.** *Arabs* verò sic; *Certò dico vobis; si fiat, ut sit vobis fides par grano sinapis, & dicatis huic monti, Transporta te hinc illuc, transportabit se: neq; difficilis erit super vobis res. Et hoc genus non exit, nisi per jejunium & per preces.* **Bezæ.** *Beza* ita reddidit; *Amen dico vobis, si habeatis fidem, quantulum est granum sinapis, dicetis huic monti, Transgreditor hinc illuc; & demigrabit: & nihil impossibile vobis erit. Hoc verò genus* **Erasm.** *dæmoniorum non egreditur, nisi per precationem & jejunium. Erasm.* **Schmid.** *Schmidius* ferè sequitur, vertens; *Certè dico vobis, si habeatis fidem, quantulum est granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc: utiq; transibit: & nihil impossibile erit vobis. Hoc verò genus dæmoniorum non egreditur, nisi per precationem & jejunium.* Con- **Deodati, Genev. Piscat.** sentit prorsus *Deodati* Italica Versio: nec dissentit *Genevensis* Gallica, nisi quod habet, *sicut granum sinapis.* Nec *Piscator*: qui quantitatem significantiùs minuit per additam voculam, *vel: vel quantulum &c.* Interponunt hæ Translationes vocem, *dæmoniorum*: & τὸ ὡς, *sicut*, exponunt de quantitate; *quantulum est granum sinapis.* Quo de verò infrà agenda erunt plura. **B. Lutheri.** *B. Lutheri* Versio literam benè exprimit: Ich sage euch warlich/ so ihr glauben habt/ als ein Senffkorn/ so möget ihr sagen zu diesem Berge/ heb dich von hinnen dorthin/ so wird er sich heben/ und euch wird nichts unmüglich seyn. Aber diese Art fähret nicht auß/ dann durch beten und fasten. Cum quâ *Belgica* satis concordat.

§. 2. Con-

§. 2. Conferri ſolent cum hoc loco Matthæi, nec immeritò, duo loci ſcripturæ alii. Quorum unus parallelus Luc. XVII. verſ. 6. Ubi Dominus ad diſcipulos ſuos dixit; εἰ εἴχετε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, ἐλέγετε ἂν τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ, ἐκριζώθητι, καὶ φυτεύθητι ἐν τῇ θαλάσσῃ: καὶ ὑπήκουσεν ἂν ὑμῖν. Hoc eſt (juxta verſionem *Eraſmi Roterodami*: plures namque adducere opus non videtur) *ſi haberetis fidem ſicut granum ſinapis, dixiſſetis huic arbori Sycamino: Eradicare & transplantare in mare: & obediſſet vobis.* Alter verò extat apud Apoſtolum Paulum. 1. Corinth. XIII. v. 2. ἐὰν ἔχω πᾶσαν τὴν πίστιν, ὥστε ὄρη μεθιστάνειν, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, οὐδέν εἰμι. *Si habeam omnem fidem, adeò ut montes loco dimoveam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Addendus, qui Matth. XXI. v. 21. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν ἔχητε πίστιν, καὶ μὴ διακριθῆτε, οὐ μόνον τὸ τῆς συκῆς ποιήσετε: ἀλλὰ καὶ τῷ ὄρει τούτῳ εἴπητε, ἄρθητι καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν, γενήσεται. *Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, non ſolum hoc, quod ficui factum, facietis, verum etiam ſi monti huic dixeritis, Tollere, & projicere in mare, fiet.* Et Marc. XI. v. 22. 23. ἔχετε πίστιν Θεοῦ· ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ὅτι ὃς ἂν εἴπῃ τῷ ὄρει τούτῳ, ἄρθητι καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ μὴ διακριθῇ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, ἀλλὰ πιστεύσῃ, ὅτι ἃ λέγει, γίνεται· ἔσται αὐτῷ, ὃ ἐὰν εἴπῃ· *Habete fidem DEI. Amen enim dico vobis, quòd quicunq; dixerit monti huic, Tollere & projicere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quæ dixit, fore: erit illi, quicquid dixerit.*

Et II. Conferuntur Loci. Luc. XVII. v. 6. I. Corinth. XIII. v. 2. Matth. XXI v. 21. Marc. XI. v. 22. 23.

§. 3. Neque tamen vel verſiones præſtant, vel collatio locorum iſtorum efficit, quò minùs Commentatoribus locus noſter difficilis evadat. Imò collatio ipſa locorum difficultates auget: & Interpretes multi, ut vidimus, in textum aſſumunt, quæ adhuc diſputantur. Unde Interpretes ſeu Commentatores adhuc de difficultate loci conqueruntur. Ex quibus eſt *Sebaſtianus Barradius*, Jeſuita, Commentar. in Concord. & hiſtor. Evangelic. lib. X. cap. 31. Tom. II. p. 714. Ubi ita ſcribit: *His verbis non levis ineſt difficultas. Si enim ſufficit fides, ut granum ſinapis, id eſt, exigua ad efficienda miracula, ſequitur eos omnes, qui fidem habent ſinapis grano ſimilem, id eſt, perexiguam, miracula poſſe edere. Sequitur præterea, Apoſtolos ne exiguam quidem fidem habuiſſe. Nam Chriſtus ait; ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis: quaſi non haberent. Præterea*

Paulus 1. *Cor.* 13. *ad transferendos montes, omnem, id est, maximam fidem exigit. Si (inquit) habuero omnem fidem, id est, perfectissimam & maximam, ita ut montes transferam &c. Quonam igitur modo Christus, fidem sicut granum sinapis, i. exiguam, ad transferendos montes satis esse, ait?* Hæc *Barradius*: in quibus aliquas, non omnes tamen omninò difficultates, quæ passim apud Commentatores augentur & multiplicantur, recenset. Meretur itaque locus adhuc meditationem: quam propterea in nomine Domini & cum invocatione ejus suscipiemus, & prout brevitas exoptata postulat, instituemus. Etsi namque vel materiam aliam eligere, vel hanc ipsam sic tractare potuissemus, ut occasionem nanciscemur, mentem nostram circa quasdam Voluminis nostri Miscellanearum disputationes, in quibus Censura nupera nonnulla vel desiderat vel impugnat, uberius exponendi, aut, ficubi commodum, defendendi: cùm talia tamen sint, ut, quemadmodum parùm nos movent, ita prudentibus putemus non dubium pro nobis factura judicium, abstinere planè maluimus. Si cui, quæ dicturi sumus, non ex asse placuerint, nobis nostra relinquat, ubi analogiam fidei non læserimus: sin meliora habuerit, gaudeat in sinu suo, sibique gratuletur, sine nostra sanè invidiâ. Intereà aliquid conaturos juvet nos JESUS CHRISTUS per Spiritus sui sancti gratiam. Amen.

III. Consideratur Textus in Quatuor Quæstionibus.

§. 4. Textum Loci nostri ante omnia, & ita considerabimus, ut videamus; Quæ πίστις, *Fides?* In quo consistat *comparatio cum grano Sinapis?* Quod fidei *subjectum?* Quis tandem *Effectus* ejus? Quæritur itaque 1. *Quæ πίστις, Fides*, hoc loco intelligenda veniat? De hâc quæstione *Barradius* l. suprà cit. scribit; *Abulensis Matthæi* 17. *quæst.* 165. *Jansenius & P. Salmeron de fide miraculorum hîc agi putant, quæ donum est gratis datum, ad facienda miracula, juxta illud Pauli.* 1. *Corinth.* 12. *Alij datur fides in eodem Spiritu. Præterea D. Chrysostomus, Matthæi* 17. *Fidem (inquit) hîc Christus miraculorum dicit &c. &* 1. *Cor.* 12. *Fidem, ait, non eam dico, quæ dogmatum est, sed signorum, de quâ Christus: si habueritis fidem, inquit, sicut granum sinapis, dicetis monti huic &c. Eundem in modum loquitur Euthymius. Hinc miraculorum fidem videtur Dominus explicare Marci* 11. *cum ait: Quicunq; dixerit huic monti,*

Estque Qu. 1. Quæ hic πίστις, Fides?

De quâ 1. Variæ sententiæ, (1.) de Fide Miraculosâ. quam refert Barradius h. l.

tollere,

tollere, & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunq; dixerit, fiat, fiet ei &c. Per hanc enim fidem creditur sine hæsitatione, quod DEUS miraculum faciet. Juxta hanc sententiam sensus erit: si habueritis fidem, non hæsitantem circa miraculorum perpetrationem: quamvis illa sit exigua, sicut granum sinapis, tamen quælibet miracula perpetrabitis. Est hæc sententia ferè Nostratium: unde *D. Franzius* de Interpret. script. Catechetis etiam attribuit: qui tamen adeò non improbat, ut potius amplius eam exponat & confirmet. *Etsi autem*, inquit, *non ignoro, quid soleant ad hoc in methodicis suis libellis respondere Catechetæ, agi nimirum de fide miraculorum in hoc oraculo Christi, quæ à fide salvifica sit distinguenda, siquidem fidem faciendi miracula habent pij & impij quoq;: & ij quidem tandem damnantur Matth. 7, 22. at fidem justificantem solummodo ij, qui tandem salvantur, tamen quia hæc responsio, si fusius explicetur, legentem satis fundamentaliter erudiet & tranquillabit &c.* Non omnes tamen Nostrates in hâc sunt sententiâ; ut posteà apparebit.

Sed probat cum Patribus Nostrates plerique. D. Franz. de Interpret. scripturæ.

§. 5. Alia sententia est, quâ fides hæc statuitur esse fides Christiana vel Theologica, à quâ dicimur fideles, vel, ut Nostrates amant loqui, justificans. Hanc præfert *Barradius* sine acerbitate tamen, & prioris sententiæ exagitatione. *Crediderim*, inquit, *potius, Christum de fide loqui virtute Theologicâ, fervente, & confidente. Etenim reprehendit incredulitatem discipulorum, id est, fidei imperfectionem, non autem illos reprehendit, quod fidem miraculorum, quæ donum est gratis datum, non haberent. Præterea illos ad fidei perfectionem exhortatur, cum ait: si habueritis fidem, sicut granum sinapis, ad fidem autem miraculorum, quæ est donum gratis datum, quorsum exhortaretur? Similis locus est Lucæ. 17. Dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem. Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mare: & obediet vobis & cæt. Petierunt Apostoli à Domino: Adauge nobis, vel in nobis fidem. de fide loquuntur virtute Theologica, eam sibi augeri postulabant: de eadem respondet Dominus: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, id est, ferventem, acrem, confidentem, & cæt. similiter hoc in loco.* Hæc Barradius.

(2.) Secunda Sententia de Fide Christianâ. quam præfert Barradius in h. l.

§. 6.

& Maldonatus eum ſtomacho defendit.

§. 6. Sed *Maldonatus* ita huic ſententiæ ſubſcribit, ut priorem vehementer exagitet. Etſi enim procul dubio novit, quæ *Janſenius* in h.l. ſcribit, cùm, *Accipitur autem*, ait, *hîc fides, non pro ea virtute, à quâ dicimur fideles, quomodò accipitur à Paulo, cùm tres dicit eſſe virtutes, fidem, ſpem & charitatem, inter quas charitas ſit maxima, pro firmo ſcilicet aſſenſu eorum, quæ de DEO & Chriſto ſunt credenda, quam fidem habent omnes Chriſtiani, & tum habebant omnes Apoſtoli. Sed accipitur pro fide ſignorum, quam Paulus ponit* 1.Cor.12. *inter diviſiones gratiarum, quas Spiritus Sanctus diverſis impertitur variè, prout vult. Huiusmodi autem fides non eſt aliud, quam fiducia impetrandi vel faciendi miracula, cum opus eſt, aut utile, invocato nomine DEI.* Etſi, inquam hæc, & quæ ſimilia alii Pontificii poſt Patres ſcripſerunt, novit: ſtomachabundus tamen ſcribit; *Chryſoſtomus & Euthymius, fidem miraculorum, non eam, quâ Chriſtiani ſumus, intelligunt: itemq; noſtri temporis hæretici; quorum errorem miror nonnullos doctos etiam & Catholicos Interpretes, dum parum cautè hæreticorum ſcripta legunt, imprudenter ſecutos eſſe. Nolo in eodem errore Chryſoſtomum & Theophylactum ponere, quia ſcio eos tàm bono, quàm hæreticos malo animo idem dixiſſe; hæreticos, ut multas fides, cum nullam haberent, fabricarentur; Chryſoſtomum verò & Theophylactum, ut diſcipulorum culpam elevarent, ne viderentur illam ipſam fidem, quâ Chriſtiani ſumus, non habuiſſe. Calviniſtarum errorem, cap.9,2. copiosè, &, ni fallor, efficaciter refutavimus. Idem quoq; ex hujus loci circumſtantiis refutari poteſt. Primum, quia minimè dubium eſt, quin Chriſtus, dum hoc dicit, Apoſtolos reprehendat, & eorum incredulitatem accuſet, quemadmodum Marci decimo ſexto, decimo quarto, eorum incredulitatem dicitur exprobraſſe, quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderant. Nemo autem reprehendi poteſt, quod fidem miraculorum non habeat: Eſt enim donum DEI, non ex humana, ſed ex divina ſolum pendens voluntate: quod non iis, qui volunt, quemadmodum ea fides, quâ Chriſtiani ſumus; ſed iis, quibus DEUS vult, concedi ſolet; iis etiam aliquando, qui Chriſtianam non habent fidem, quemadmodum prophetia, & aliorum miraculorum dona. quare non magis reprehendi Apoſtoli potuerunt, quod fidem miraculorum non haberent, ut fingamus aliquam eſſe diſtinctam miraculorum fidem, quàm, quòd non habereni*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0014
DFG

berent donum prophetiæ. Prætereà eodem modo patris adolescentis, quo Apostolorum incredulitatem Christus reprehendit. incredulitas autem ista, quam in patre reprehendebat, non miraculorum, sed Christianæ fidei opponebatur, quia de Christi divinitate potentiáq; dubitabatur; ergò & in Apostolis non fidei miraculorum, sed Christianæ defectum reprehendit. Deinde, quia hoc non solum reprehendendo sed etiam exhortando Christus dicit, ut statim sequitur, si habueritis fidem, sicut granum sinapis. Nemo autem quenquam exhortatur, ut donum miraculorum habeat, sicut neq;, ut habeat prophetiam, aut linguarum donum, quia id non in nostra situm est potestate. Denique manifestum est, de eadem fide Christum loqui, de quâ 1. Corinth. 13, 1. *loquitur D. Paulus; ad hunc enim locum alludit, si habuero, inquit, omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. D. autem Paulum non de fide miraculorum (quanquam de eâ etiam Calvinistæ eum locum interpretantur) sed de Christiana, quæ una ex tribus Theologicis Virtutibus est, loqui, ex v.* 13. *perspicuum est, nunc, inquit, manet fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas.*

§. 7. Tertia sententia eorum est, qui locum nostrum generalem esse existimant, ut πίστις, Fides, sit omnis fides, quæ suam habet vocationem & promissionem, sive ad edenda miracula, sive ad aliud quid patrandum vel impetrandum. Quæ sententia ferè Nostratium est. Ita enim *D. D. Brentius* noster: *Expendamus igitur verba. Si habueritis, inquit, fidem. Non dicit, opinionem, somnium, aut humanum rationem, sed fidem, videlicet eam, quæ in nobis est per Spiritum Sanctum. Hæc autem fides non est, nisi per verbum. Quare ubi est in homine Spiritus Sanctus & vocatio ac promissio verbi DEI, ibi est & fides. Ubi autem fides est, ibi certum est, quòd efficiantur ea, quæ alioqui sunt impossibilia, propterea quòd fides concipiatur ex verbo DEI, quod est potentia DEI, & quod non revertitur vacuum, sed faciet, quodcunq; vult DEUS, & prosperabitur in his, ad quæ DEUS illud miserit. Quod autem de transferendis montibus dicitur, Synecdoche est, species pro genere: intelligendum enim est pro iis operibus, quæ natura sunt impossibilia. Hæc igitur est sententia: Si quis habet vocationem & promissionem DEI, ac adhibet ei vel parvam fidem, efficiet grandiora & majora, quàm naturâ effici possint, in suâ videlicet quisq; vocatione. Hoc enim dictum*

(3.) Tertia sententia de Fide generaliter sumtâ. D. Brentius in h.l.

ctum non pertinet ad temerarios hominum conatus, sed ad ordinarias & legitimas aut cœlestes uniuscujusq; vocationes, sive illas personales, sive generales: & in iis sunt sunt montes, qui sunt dimovendi ac transferendi, ut pergere queas. Subjicit mox Exempla, *Mosis, Josuæ, Davidis, Apostolorum.* Quibus subjungit: *Nostra autem vocatio, nostraq; promissio habet suos montes, & sua miracula, quæ edamus. Paupertas, morbus, mors sunt montes, qui sese ambulantibus nobis in nostra vocatione objiciunt, ac super capita nostra ita nobis incumbunt, ut videantur velle nos ad infernum usq; deprimere. Sunt ergò projiciendi à nobis in mare &c.* Ita manifestè fidem justificantem & miraculosam conjungit *Dn. D. Lyserus* Harm. Evang. Cap. LXXXIX. ubi scribit: *Hîc verò quæritur, an Christus loquatur de fide justificante, quæ communis est omnibus verè Christianis: an verò de fide miraculosa? Respond. Rectè quidem aliâs hæ duæ species fidei distinguuntur: sicut ipse Paulus id facit* 1. *Corinth.* 13. *v.* 2. *&* 13. *Sed hîc de utraq; conjunctim accipi potest. Nam Apostoli utraq; fide à Christo donati fuerant. Verum in hoc certamine cum scribis perfunctorie fide suâ usi videntur. Christus autem vult, quando DEUS plusculum permittit Satanæ, tum non superficiali fide, sed ardente, cum ipso congrediendum esse.* *D. D. Hunnius* in h. l. de fide miraculosa quidem locum nostrum præcipuè interpretatur: monet tamen, quod simul ad naturam fidei Justificantis docendam respiciatur. Locum communem primum dat de duplici fide. Et ita exponit: *Est enim quædam justificans* (fides,) *solis verè piis & fidelibus competens. Deinde alia quædam est fides edendorum signorum, de quâ ita hoc loco concionatur Dominus, ut nihilominùs ad alterius etiam, nempè justificantis fidei efficaciam declarandam spectet.* Unde Locum secundum, saltem inprimis de fide justificante concepit, his verbis: *Monemur simul, DEUM fidem infirmam non abjicere, si vel granum sinapis suâ quantitate æquet: suscipit enim Christus infirmos in fide, tanquam fidissimus pastor, qui saucias & infirmatas oviculas consolidat, qui laborantes & oneratos ad se invitat, & animarum refectionem promittit, qui calamum conquassatum non conterit, & linum fumigans non extinguit, qui virtutem suam in nostra infirmitate perficit.* Et hunc Locum tertium subjungit: *De stupendis operibus, quæ facit fides. Quanquam enim in hypothesi Christus de fide miraculosa tractat, non tamen obscurè simul justificantis quoq; fidei naturam*

& D. Lyserus in Harm.

nec non D. Hunnius, quodam saltem modo, in h. l.

naturam proprietatemq; declarat. Quemadmodum igitur miraculosa fides transfert montes: ita fide prosternimus ipsum diabolum. Fide vincimus mundum. 1. *Joh.* 5. *vincimus ipsas inferorum portas, & fides victoria nostra nominatur, & scutum illud, quo excipiuntur & extinguuntur jacula illius maligni. Atq; hæc sunt majora illa opera, de quibus concionatur Dominus hisce verbis; Amen, Amen, dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet, & majora his faciet. Epistola ad Hebr.* 11. *recenset prolixum Catalogum mirandorum operum, quæ per fidem designarint olim sancti DEI viri & fœminæ.*

§. 8. Habemus itaque tres Interpretum de fide nostri loci sententias. Quarum I. de fide miraculosa gravissimorum sanè Theologorum habet autoritatem, tùm Veterum, tum Pontificiorum etiam: quorum autoritas non tàm facilè elevatur, ut *Maldonatus* sibi imaginatus est; cùm rationibus non careat: ut posteà amplius patebit. Sed & *Barradius* non tàm iniquus est huic Interpretationi, quàm *Maldonatus*. Rationes, quibus eam impugnat *Maldonatus*, & breviùs collegit *Barradius*, nullius momenti sunt: ad quas etiam pridem ab aliis responsum est. Confusè namque ab impugnatoribus in re hâc agitur: in quâ tamen non modo inter subjecta seu personas, sed etiam inter donum miraculorum & exercitium actuum diligenter distinguendum est. Subjecta namque seu Personas quod attinet: alia certè subjecta sunt, quibus cum promissione edendorum per ipsa miraculorum vocatio facta est; alia verò, quæ neque promissionem neque vocationem habent. Ex posteriorum numero Apostolos eo tempore, quo Christus eos partim reprehendit, partim exhortatus est, adhuc fuisse, nemo dixerit: cùm ex Matth. X. & Luc IX. & X. constet, non tantùm vocatos, sed & emissos in totam Judæam, Evangelium prædicasse, & miracula magna perpetrasse, ita ut diaboli etiam in nomine JESU ipsis cesserint. Licet itaque concedatur, quod qui neque vocationem neque promissionem edendorum miraculorum habent, reprehendi nequeant, si fidem miraculosam non habeant, aut miracula perpetrare nequeant: certum tamen est, quod qui tum vocationem tum promissionem habent, justissimè reprehendantur, si non cum fide utantur. Nec reprehendantur tantum meritò, sed exhortandi etiam

2. Prima sententia, (1.) Vindicatur ab objectionibus Maldonati & Barradii. ita ut præmissâ distinctione,

 sint,

sint, ut melius utantur. Prætereà potest habere quis donum patrandorum miraculorum : qui tamen in exercitio ipso, fidem, quam habere debet, non habeat, & ideò eventu frustretur, vel severè etiam puniatur. Notissimum est exemplum Mosis & Aharonis. Hos namque vocationem, promissionem, donum patrandorum miraculorum habuisse, quis negaverit? Atqui jussi etiam à DEO petram in deserto non cum debitâ fide & reverentia DEI coram populo Israëlitico percusserunt. Unde reprehensi sunt, dictumque ipsis est à Domino; *Propterea quod non credidistis in me, ut sanctificaretis me in oculis filiorum Israëlis, non introducetis congregationem hanc in terram, quam dedi illis.* Num.XX. v.12. Quomodo facilè ad argumenta Jesuitarum respondetur.

Num.XX. v. 12.

Respond. ad 1. Nam 1. verum est, quod nemo reprehendi possit, quia fidem miraculorum non habeat, sive quoad donum, sive quoad actum, si neque vocationem, neque promissionem, habeat : sed meritò reprehenditur, qui vocationem promissionemque habet, si non cum fide utatur, ubi utendum est. Ita. 2. Non exhortatus est Dominus Apostolos, ut donum miraculorum haberent : sed ut eo, quod habebant, cum fide uterentur. Sicut qui donum prophetiæ habet, rectè admonetur, ut eo fideliter utatur : juxta illud Apostoli; *ne neglexeris, quod in te est, donum, quod datum est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.* 1.Timoth.IV.v.14. Item ; *Quam ob causam commonefacio te, ut suscites donum DEI, quod in te est per impositionem manuum mearum.* 3. Locum 1.Corinth.XIII. de translatione montium per fidem, à Calvinistis de fide miraculorum etiam exponi, probè novit, & fassus est *Maldonatus.* Ergò contrarium non tantùm asserere, sed probare debuisset: quod non fecit. Quod pro confirmatione primi argumenti de incredulitate patris Lunatici attulit Jesuita, nihil ad rem facit. Huic namque cum Christo res erat, de cujus potentia dubitabat ; non tantùm voluntatem ad patrandum miraculum exorabat. Quod si Jesuita putat, Apostolos etiam de potentia DEI dubitasse, duplicem incredulitatem iis impingit ; non solam fidem miraculosam negat.

ad. 2.

ad. 3.

(2.) Omnes sententiæ conciliantur.

§. 9. Quod Interpretationem II. & III. porrò concernit : conciliari invicem & cum primâ possunt. Ita namque locum nostrum de fide miraculosa agere, ut pro fide justificante,

vel

vel Christianâ, vel Historicâ etiam, nihil haberi queat, dicendum non est. Æquè tamen, & non minus de Justificante, quam miraculosâ, sermonem esse, ipsæ textus circumstantiæ non concedunt. Distinctiùs itaque procedendum est. Fides I. in se considerata, & secundum naturam suam, unum habet communem conceptum; juxta quem est notitia, assensus & fiducia de re aliqua ejusque veritate. Hic communis conceptus in omni verâ fide deprehenditur, quæcunque illa fuerit; sive divina sive humana. Nam ne humana quidem fides hîc excludenda est. Ex gr. Fidem si adhibere debeam Tito Livio, Romano, sed profano Historico, oportet me sanè nosse, quid ille habeat, & credendum mihi proponat. Quomodo enim credere possum, quod verum sit, quod ille habeat, si nesciam, quid habeat. Unde necesse est, ut vel ipse legerim historias ejus, vel ex aliis eas audiverim & cognoverim: neque enim res sunt naturâ mihi notæ; licet in natura gestæ sint. Si porrò, quid ille habeat, cognovero seu scivero: nondum tamen prudenter credere possum, nisi rationem vel rationes habuero fidem mihi persuadentes h. e. veritatem historiarum mihi ita probantes, ut prudenter dissentire nequeam. Nascitur inde tandem consensus seu assensus ex fiducia rationum ad assensum me permoventium: unde adeò confidenter assentiar atque credam, veras esse historias. Fiducia, quam dixi, adeò necessaria est, ut sine eâ fides non possit esse fides; sed opinio tantùm vel vana imaginatio. Non potest etiam fides subsistere vel durare sine istâ de veritate rerum fiducia: sed quàm facile sine rationibus concipitur, tàm facilè etiam sine ratione evanescit, si inprimis in examen & dubium vocetur. Et hactènus omnis fides unum communem conceptum, ut diximus, habet, & una eademque omnis fidei natura est. quicquid namque Pontificii contranitantur & contendant: res ipsa tamen clarissima est etiam rationi humanæ. Quod verò. II. Fides distinguitur, ut alia sit *humana*, *divina* alia; alia *justificans*, alia *miraculosa*, alia *historica*; alia *firma*, alia *infirma*; alia *probabilis*, alia *infallibilis &c.* omne oriundum est, partim *à causa Efficiente*, partim *à Subjecto*, partim *ab Objecto*, & si quid præterea aliud sit. Prout ex. gr. Fides nititur autoritate vel divina vel humana, fides *divina* aut *humana* appellatur. Sed & *divina* dici potest, quæ virium humanarum

Observatis observandis scil.

1.

2.

manarum non est, sed divinitùs conceditur: sicut contrà *humana* nominabitur, quæ ex humanis naturæ viribus præstari potest. Ab *Objecto* deinde fides alia est *historica*, alia *justificans*, alia *miraculosa*. Nam *Historica* est illa, cui proponitur historia aliqua ita, ut proponens velit credi, quod ea vera sit, saltem propter autoritatem proponentis. Nam sine omni ratione credi, petitum impudens est & insulsum. Fides *justificans* est, cui proponitur credendum, quod DEUS Pater te peccatorem, ex proprio merito damnandum, propter unius JESU CHRISTI, Filii sui, meritum, in promissionibus oblatum, gratis & ex merâ gratia sua à peccatis & damnatione absolvere velit, & credentem certò absoluturus sit sine omni morâ; vel pridem credentem certò absolverit. Fides *miraculosa* est, cui proponitur credendum, quod DEUS omnipotens, per te, juxta vocationem, promissionem impulsumque suum hoc & nunc certò effecturus sit miraculum, in nominis sui gloriam, & hominum commodum atque salutem. Jam fides *probabilis* & *fallibilis* est, quæ iis nixa est rationibus, quæ fallere possunt, seu quibus subesse potest falsum. Contrà *infallibilis* fides est, quæ tàm certis nititur fundamentis, ut fallere nunquam possint, nullum unquam subesse illis falsum queat.

3. Omnis itaque. III. fides participat communem fidei naturam, ut constet notitia, assensu & fiducia: non tamen idem omnis fides objectum habet, non easdem assentiendi cum fiducia rationes, non eandem certitudinem & confidentiam. Variare Objecta credenda in fide historica, justificante & miraculosa, ex dictis arbitramur manifestissimum esse. Propter quam objectorum varietatem non eodem modo se habet fides; sed distinguenda est. Discrimen quoque aliquod oritur ex *subjectis*; dum non omnis fides omnibus subjectis æquè aut eodem modo communis est. Fides Justificans omnibus vere Christianis communis est: non autem fides miraculosa. Quòd si etiam contingat, hanc, istam, illam fidem, nosse res credendas ex iisdem cognoscendi principiis, niti & fidere iisdem certitudinis rationibus, & in veritatem assentiri confidenter, ut hîc discrimen non deprehendatur; vel sola tamen objectorum seu credendorum differentia eas discrimi-

4. nat. Quæ jam. IV. *fides*, *historica* ne, an *justificans*, an *miraculosa* in nostri loci verbis intelligenda veniat: vel ex solo Objecto credendo

credendo firmiter concludi poteſt. Id objectum credendum quodnam fuerit : tùm quæſtio diſcipulorum Chriſti, tùm reſponſio Chriſti promtè ſubminiſtrat. Diſcipuli Chriſti quærunt ex Magiſtro ſuo; *Quare nos non potuimus illud* (dæmonium) *ejicere* ? Reſpondet Salvator ; *Propter incredulitatem veſtram*: quâ ſcilicet non credidiſtis vos poſſe iſtud ejicere. Pergit Salvator; *Amen dico vobis, ſi fidem habeatis ſicut granum ſinapis*, (quod ſcilicet ad verbum veſtrum mons hic ſe ſublaturus & in mare translaturus ſit) *dicetis* (ex fide iſta nimirum) *huic monti, Tollere, & transfer te hinc illuc, & transferet ſe : nec quicquam* (quod credetis vos facere poſſe vel facturos) *erit vobis impoſſibile.* Satis clarè hîc habemus Objectum fidei miraculoſæ : quod neque *Maldonatus*, neque *Barradius*, vel ullus ſanorum Pontificiorum negare poterit. Clariùs tamen adhuc illud extat Marc. XI. verſ. 23. Ubi Dominus ad diſcipulos, *Amen*, inquit, *dico vobis, quod quicunq; dixerit monti huic, Tollere, & projice te in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ἀλλὰ πιστεύσῃ, ὅτι ἃ λέγει γίνεται, ſed crediderit, quod quæ dicit, futura ſint : erit illi, quicquid dixerit.* Quis namque hîc non perſpicuè videat, Objectum fidei conſtitui hujus ea, quæ quis dicturus eſt, ut fiant : ut, dum dicit, ut fiant, credat in corde ſuo certò, fore ut fiant, quæ dicit? Objectum porrò hoc longe aliud eſſe, quàm fidei Juſtificantis, juxta ea, quæ ſuprà diximus, manifeſtum adeò eſt, ut probatione non egeat. Quare verba noſtri loci de fide miraculoſa, cujus objectum hîc deprehendimus, accipi immediatè debent : nec eodem modo de fide juſtificante, de cujus Objecto nulla planè mentio fit, intelligi poſſunt. Etſi fieri potuiſſet, ut, ſi tantum incredulitate ſuâ peccatum, quod mortale eſſet, commiſiſſent, fidem etiam juſtificantem amitterent ; tanquam quæ cum peccato mortali non poteſt conſiſtere. Nihilominùs V. cùm fides miraculoſa communem, ratione notitiæ, aſſenſus & fiduciæ, naturam habeat; cùm inſuper idem vocationis & promiſſionis divinæ infallibile fundamentum habeat; licet Objecto differat, à fide juſtificante : relicto eidem fidei miraculoſæ, quod ipſius proprium eſt, reliqua, quæ de ea dicuntur, non minùs ad fidem juſtificantem, cui communia ſunt, pertinebunt. Quemadmodum cùm Apoſtoli commune Evangelium, & prædicandi illud officium, cum ſucceſſoribus ipſorum, habue-

Marc. XI. v. 23.

5.

habuerint: quæ propria Apoſtolis ſunt, abire in univerſum mundum, infallibiliter docere, miracula patrare &c. ipſis quidem, tanquam Apoſtolatui propria, relinquenda ſunt, ut nihilominus, quod ſit verum Evangelium, quæ veræ Miniſtrorum verbi partes, ex iis, quæ ad ipſos à Chriſto dicta ſunt, rectè diſcatur, & ritè concludatur. Eodem modo ex noſtro loco rectè diſcitur & concluditur, quod quemadmodum promiſſio fidei miraculoſæ facta in effectum promiſſum non deducitur, niſi promiſſioni eidem credatur, ita promiſſiones Evangelicæ de remiſſione peccatorum ſeu juſtificatione &c. fidei Juſtificanti factæ in eventum non deducuntur, niſi fide eas apprehendente & applicante credantur. Neque enim hactenus fides miraculoſa & juſtificans differre oſtendi poterit. Et ſic in aliis quoque res habet partibus. His de Quæſtione, qua de fide noſtri loci verba loquantur, dictis, patet, falſum eſſe, quod de fide Chriſtianâ in genere, atque adeò de fide Juſtificante etiam, ſermo ita ſit, ut nihil, niſi quod omni fidei Chriſtianæ competat, habeatur, aut omne, quod hîc habetur, omni fidei Chriſtianæ, etiam Juſtificanti, conveniat, eique tribuendum ſit, quod *Maldonatus*, *Barradius* & alii Pontificiorum contendunt. Patet inſuper, propriè & immediatè de fide miraculosâ agi, de quâ omnia, quæ dicuntur, vera ſint; ut tamen communis fidei natura ſignificetur, &, exceptis, quæ fidei miraculoſæ propria ſunt, ea quoque, quæ fidei quoque juſtificanti competunt, doceantur. Atque hæc de primo puncto nobis ſufficiant.

Qu. II. In quo Comparatio inſtituatur? Vbi Barradius in h. l. recenſet

I. Sententias Tres. quarum

I. de Quantitate exiguâ

Quam (1.) Barradius impugnat.

§. 10. *Quæſtio* ſequitur *ſecunda*; *In quo comparatio inter fidem, nempè, miraculoſam, & inter granum ſinapis inſtituatur*, quando dicitur; ſi habeatis fidem ſicut granum ſinapis? *Barradius* in h.l. *tres* habet *ſententias*. *Prima eſt*, fidem comparari cum grano ſinapis ratione quantitatis exiguæ h.ſ. ſi habeatis fidem tàm parvam, quàm eſt parvum granum ſinapis. Et hanc ſententiam exprimunt, ut ſuprà habuimus, multi Translatorum. Sed *Barradius* ei cum aliis objicit; *Si ſufficit fides ut granum ſinapis, id eſt, exigua, ad efficienda miracula, ſequitur eos omnes, qui fidem habent ſinapis grano ſimilem, id eſt, perexiguam, miracula poſſe edere. Sequitur præterea, Apoſtolos ne exiguam quidem fidem habuiſſe. Nam Chriſtus ait: Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis: quaſi non haberent:*

haberent. Prætereà Paulus 1. *Corinth.* 13. *ad transferendos montes, omnem, id est, maximam fidem exigit. Si (inquit) habuero omnem fidem, id est, perfectissimam & maximam, ita ut montes transferam &c. Quonam igitur modo Christus fidem sicut granum sinapis, i. exiguam, ad transferendos montes satis esse ait?* Verùm hanc tamen non Nostrates tantùm Expositionem, *Brentius, Hunnius* & alii sequuntur: sed *Maldonatus* etiam Jesuita defendit. *Cùm autem, inquit, non sinapi, sed granum sinapis dictum sit: manifestum est, non vim, & naturam, sed parvitatem significatam fuisse. Prætereà non obscura antithesis est inter granum sinapis & montem; illam rem minimam, hanc maximam. Voluit enim Christus dicere vel minimam fidem, quale granum sinapis est, vel maximum montem posse transferre: de fide igitur mrgnitudine aut parvitate, non de efficacitate agitur. Non quod non etiam efficacitas inde colligatur: Sed quod non efficacitate, sed exiguitate grano sinapis fides conferatur. Accedit, quod, etsi videri potest exiguum, magnum tamen apud me argumentum est, quia ex Christi ingenio & majestate sumitur. Si dicere voluisset, si habueritis fidem tàm ardentem, quàm granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit: sensus quidem verus esset, sed vulgaris, humilis, abjectus, inefficax, & magnitudine ingenij Christi minimè dignus &c.* Hæc *Maldonatus.*

(2.) Communiter Interpretes amplectuntur: & Maldonat⁹ defendit.

§. 11. *Secunda sententia* est, comparationem fieri ratione qualitatis, acrimoniæ scilicet, & ardoris, quo granum sinapis polleat. *Respondetur*, scribit *Barradius* Jesuita, *fidem sicut granum sinapis, non appellari fidem exiguam, sed potius fidem maximam, ferventem, atq; acrem, instar sinapis, in arborem magnam excrescentem. Sic Chrysost. interpretatur homil.* 68. *in Matth. sinapis, inquit, meminit Christus, cujus maxima est virtus. Nam cum minima sit: magnitudine virtutis vehementior est cæteris omnibus &c. Euthymius quoq; ita exponit: si habueritis fidem adeò acrem, & vehementem, ac ferventem, sicut granum sinapis &c. D. Hieron. Magna (inquit) est fides, quæ grano sinapis comparatur &c. Idem sentit Theophylact. D. Thom. Origenes & alij.* Atque huic sententiæ ipse *Barradius* subscribit. De eadem sententia scribit *Maldonatus* in h.l. *Omnes fere, & veteres, & novi Auctores, ut Origenes tractat. in Matth.* 4. *Hieron. Beda & Strabus, alicubi etiam D. Augustin. fidem hîc non magnitudine, sed efficacitate & acrimonia comparari putant: quasi*

2. de qualitate acrimoniæ & ardoris. quam (1.) Barradius sequitur post multos patres.

Sed (2.) Maldonat⁹ refutat.

dicat Christus; si habueritis fidem tàm ardentem, tàm vehementem, tàm efficacem, quam granum sinapis est, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit. Quod (pergit) *etsi à multis summis q3 auctoribus probatum est, difficultate non caret. Primum, quia non solemus res ardentes & efficaces, sed parvas, grano sinapis comparare, ut supra Cap. 13, 31. 32. simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod minimum est omnibus seminibus. Res verò ardentes & efficaces igni potiùs, quàm grano sinapis comparari solent: sicut Evangelium comparatur Luc. 12, 29. ignem veni mittere in terram. Deinde, quia si propter acrimoniam & ardorem grano sinapis fides comparetur, non fuit necesse dicere, si habueritis fidem, sicut granum sinapis; sed, si habueritis fidem, sicut sinapi, ut natura & effectus non exiguus significaretur.*

§. 12. *Tertia sententia* utrumque istud h.e. & quantitatem & qualitatem conjungit. Est hæc *Dn. D Lyseri* in harmon. loco sup. cit. *In grano sinapis*, inquit, *utrunq3, & quantitas & qualitas est consideranda. Quoad quantitatem, inter omnia semina ipsum est minimum. At quoad qualitatem, habet vehementem acrimoniam & ferventem efficaciam: in terram etiam projectum ex se magnam producit arborem. Sic quoad fidem, DEUS non est adeò morosus, ut quantitate magnam & ingentem fidem requirat. Novit enim, quale figmentum simus Psalm. 103. vers. 14. & quod dum in carne vivimus, imperfectioni sumus obnoxij. Si talem fidem habeant Apostoli, dicit ipsis Christus, tum dicetis monti huic, demigra hinc illuc, & demigrabit.* Pro *Quarta* tandem *sententia* esse potest, cujus meminit *Barradius*; & hæc est, *Christum neq3 ad magnitudinem neq3 ad qualitatem respicere, sed circumscribere fidem, h.s. si habueritis eam fidem, quam ego aliàs cum grano sinapis comparavi, quando dixi; simile est regnum cœlorum grano sinapis &c.*

3. de utrâque, & quantitate & qualitate. quam habet D. Lyserus in Harm.

4. de circumscriptione fidei, apud Barradium h.l.

§. 13. Quod jam istas attinet sententias: *Quarta* non videtur probabilitatem habere, fidemque mereri: cùm coactior sit. Coactum enim sanè est; si habueritis fidem sicut granum sinapis, hoc est, si habueritis eam fidem, quam ego alibi comparavi cum grano sinapis. Si verò etiam hic sensus esset: dubitaretur tamen, num de magnitudine, an de qualitate Domino hic sermo esset; & res foret magis dubia. Ut de hoc non dicam, quod nusquam fidem Christus, sed regnum cœlorum cum grano sinapis

2. Sententiæ expenduntur. (1.) Quarta Sent. quæ repudiatur.

pis comparavit. Jam *Tertiam* ſententiam quod attinet, per ſe cadet, ſi oſtenſum fuerit, quod ſecunda locum hîc non obtineat. Si namque locum nullum obtinere poteſt, non poterit etiam illum per conjunctionem obtinere. Præterquam, quod quantitas fidei à qualitate non poteſt commodè diſtingui : cùm propriè in prædicamento Quantitatis non ſit ; ſed quantitas potius ejus in Prædicamento Qualitatis conſideretur, quatenus vel remiſſior vel intenſior, firmior vel infirmior eſt. Ubi incongruum eſt dicere, eandem fidem eſſe magnam & parvam ſimul ratione intenſionis ſuæ : niſi diverſos comparationis reſpectus facias, cujusmodi quidem infrà *Maldonatus* faciet, parùm convenienter. (2.) Tertia Sēt.

Quantum itaque *ſecundam ſententiam* de acrimonia, fervore & efficacitate, attinet : paulò antè habuimus, quæ illi *Maldonatus* objiciat. Nimirum 1. non ſolere nos res ardentes & efficaces, ſed parvas, cum grano ſinapis comparare. Quod probavit ex Matth. XIII. v. 31. 32. *Simile eſt regnum cœlorum cum grano ſinapis, quod minimum eſt ſeminum &c.* Et certè verum eſt, quod in hoc Matthæi loco regnum cœlorum ratione initii ſui cum grano ſinapis comparetur : ſicut ibidem ratione progreſſus ſui ſimile fit oleri ſinapi, inter olera ad maximam altitudinem & amplitudinem excreſcenti. Ut hæc *Maldonati* ratio non nullius momenti ſit. (3.) Secunda Sent. cui à Maldonato objicitur. (1.)

2. Non dicturum fuiſſe Chriſtum, ſicut granum ſinapis, ſed, ſicut ſinapis, ideò nimirum, quia cùm granum ſinapis notiſſimæ parvitatis ſit, minùs commodè vis & efficacia per parvitatem ſignificatur. (2.)

Accedit verò 3. quod fides ſicut granum ſinapis non parvæ aut minùs ardenti, tanq. vehemens efficaxque fides, ſed incredulitati opponitur. Quærentibus enim diſcipulis ; *Quare nos non potuimus illud* (dæmonium) *ejicere* ? Dominus reſpondit, *propter incredulitatem veſtram.* Ac mox ſubjunxit : *amen enim dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis &c.* Ubi certè vult dicere ; ſi non increduli fueritis, ſed aliquam ſaltem fidem habueritis, ſi vel minima fuerit, ſicut granum ſinapis minimum eſt. (3.)

Adde 4. quod fidei in ſcriptura non ardor & vehemens fervor adſcribi ſolet : ſed charitati potius. Fides autem à magnitudine ſuâ commendatur ex. gr. in muliere Cananæâ Matth. XV. vel propter parvitatem reprehenditur, quemadmodum aliquoties in Apoſtolis. (4.)

Jam. 5. planè incongruum eſt huic loco, ſi fides cum grano ſinapis (5.)

pis ratione efficacitatis conferatur. Quis namque bonus ſenſus eſt? ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, hoc eſt, tàm efficacem, ut ad transferendos montes ſufficiens ſit, poteritis montes transferre. Quis hoc neſciat?

(4.) Tertia Sēt. approbatur,

§. 14. Reſtatergò *Prima ſententia*, quæ comparationem inſtituit inter fidem & granum ſinapis ratione quantitatis exiguæ h.m. ſi habueritis fidem tàm parvam, quàm parvum eſt granum ſinapis &c. Quomodo minima fides ſignificatur; quemadmodum granum ſinapis eſt inter ſemina minimum; ita explicante ipſo Salvatore Matth.XIII. Prætereà ea, quæ paulò antè contra ſententiam ſecundam allata ſunt, & huc applicanda ſunt. Satius etiam eſt, imò literæ hoc ipſum debetur, ut tàm fidem, quàm granum ſinapis, ſecundum ſubſtantiam ſuam ſumamus & conſideremus. Nemo namque negaverit granum ſinapis, vel cujuscunque etiam ſeminis aut frumenti, ſubſtantiam prius ſignificare, quam qualitatem ſubſtantiæ in vel adhærentem. Ita quando fidem ſimpliciter dicimus, certè eſſentiam & naturam ejus primò indicamus. Nec dubitandum videtur, quin, quando quis vel legit, vel audit verba hæc; *ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapi*, primum ille conceptum habeat de parva ſubſtantia grani, non de acrimonia, ardore vehementi vel efficacia. Et hòc quidem magis; quia granum, quod notanter hîc poſitum eſt, tàm non dicit qualitatem ſinapis, quàm non denotat qualitatem tritici, quando granum tritici dicimus. Interim hoc obſervandum venit, quod parvitas fidei hoc loco non ſit opponenda veritati fidei; ſed veram fidem, parvam tamen, ſignificet. Oppoſitio quidem enim aliqua facienda eſt, ſed ad incredulitatem ſeu fidem non veram: ut incredulitati, quæ non eſt vera fides, opponatur fides vera. Certè hæc oppoſitio in contextu clara eſt. Diſcipuli namque Domino dicunt; *Quare nos non potuimus ejicere iſtud* (dæmonium?) *propter*, inquit Salvator, *incredulitatem veſtram. Amen enim dico vobis; ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis &c.* Hoc eſt; ſi habueritis, non incredulitatem, ſed fidem, licet hæc major grano ſinapis non ſit, modò vera ſit; ſicut granum ſinapis verum nihilominus ſemen eſt, licet omnium ſit minimum. De vera etiam fide ſe loqui, Salvator adhuc clarius fecit Marc.XI. verſ.22. & 23.

& confirmatur.

Marc.XI. v.22.23. *Habete fidem DEI: amen dico vobis, quod quicunq; dixerit monti huic,*

huic, Tellere, & projice te in mare: ηϱ. ϗθῇ ἐν τῇ καϱδίᾳ αὐτ͞ȣ, ἀλλὰ πιϛεύσῃ, *& non hæsitaverit in corde suo,* ἃ λαλεῖ γίνεται, *crediderit, quod quæ dicit, futura &c.* Habemus utique fidem, quæ sit sine hæsitatione; & in ipso quidem corde: ut adeò non sit tantùm fides linguæ, sed cordis, quâ non datur verior. Et eadem ratione veram fidem describit Apostolus Jacobus Cap. I. v. 6. Epist. Iacob. I. v. 6
Petat autem ἐν πίϛει μηδὲν διακϱινόμενος, *in fide, nihil hæsitans.* Equidem sunt ex Interpretibus, quibus fides sine hæsitatione est fides maxima & perfecta: sed falluntur. Etsi namque fidem perfectam oporteat esse sine omni hæsitatione seu dubitatione: illa tamen potius stylo scripturæ fides sine hæsitatione dicitur, quæ hæsitationem atque incredulitatem vincit; nec se superari patitur, etiamsi vehementer impugnetur. *Fides* nimirum *est, quæ vincit mundum: & hæc est victoria nostra, fides nostra.* 1. Johan. V. v. 4. 1. Ioh. V. v. 4.

§. 15. Quæ sententiæ huic objiciuntur, magni momenti non sunt. Objicitur 1. à *Barradio* & aliis; *Si sufficit fides, ut granum sinapis, id est, exigua, ad efficienda miracula, sequitur, eos omnes, qui fidem habent grano sinapis similem, id est, perexiguam, miracula posse edere.* Verùm 1. si illatio fit ad omnem fidem, etiam justificantem, vel, ut Pontificii loqui amant, Christianam, à quâ fideles dicimur, falsa est consequentia. Neque enim à fide miraculosa, quantum ad effectum miraculorum, consequentia ad fidem Justificantem seu Christianam valet. Quod si 2. de fide miraculosâ sumitur Conclusio, quod omnes, qui fidem exiguam miraculosam habent, possint edere miracula; conceditur totum argumentum, sed limitando ad id genus miraculorum, cujus donum fidesque singulis data est. Non enim omnis, qui aliquod donum miraculorum habet fidemque, propterea omnis generis miracula edere potest; sed tantùm miracula sui doni. Siquidem & dona miraculorum diversa diversis olim concessa sunt. Quod evidentissimè testatus est Apostolus Paulus 1. Cor. XII. v. 9. & 10. *Alij verò*, inquit, *fides* (data est) *per eundem Spiritum: alij verò dona sanationum per eundem spiritum: alij verò operationes virtutum.* Sine dubio fides miraculosa intelligenda est. Nec dubitandum est, quin sanationes, & operationes virtutum, dona miraculosa fuerint. Atqui aliis atque aliis data sunt: ut unum uni subjecto solum

Nec non defenditur contra Objectiones. ad 1. Resp. 1.

2.

1. Cor. XII. v. 9. 10.

lum sine reliquis concessum sit. Ubi non licet argumentari: Quisquis fidem habuit etiam perexiguam in dono sanationum, ille potuit etiam operationes virtutum edere: nisi utrumque donum eidem subjecto â Spiritu donorum autore donatum fuerit. Apostolos 3. quod attinet; donum illi habuerant miraculorum universale, ut sic loquar, nec ullum doni miraculosi genus ipsis negatum fuit. Unde quoad ipsos valuit consequentia Salvatoris sapientissimi; *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, id est, etiam perexiguam, non tantùm inferioris generis miracula edere, sed montes etiam transferre poteritis. Objiciunt. II. *Si sufficit fides ut granum sinapis, id est, exigua, ad efficienda miracula, sequitur præterea, Apostolos ne exiguam quidem fidem habuisse. Nam Christus ait: si habueritis fidem sicut granum sinapis: quasi non haberent.* Hoc autem existimant absurdum esse, quod Apostoli ne exiguam quidem fidem habuerint. Sed 1. distinguimus rursus inter fidem miraculosam & justificantem seu Christianam. Si hoc vult Conclusio, quod Apostoli ne quidem exiguam fidem justificantem habuerint: negatur Consequentia. Nam negatâ fide miraculosâ, non statim negatur fides justificans seu Christiana: alioqui nemo, qui fidem miraculosam non habet, habiturus esset fidem justificantem seu Christianam; id quod absurdum est. Illi verò etiam, qui donum miraculorum juxta fidem justificantem habent, etiamsi ne quidem fidem miraculosam exiguam habeant, non tamen statim fide justificante destituuntur; nisi incredulitatem ejusmodi commiserint, quæ peccatum mortale sit, quo fides etiam justificans excutiatur. Distinguendum. 2. est, inter donum miraculorum fidemque ipsam miraculosam, & inter actum fidei miraculosæ in exercitio. Factum est in Apostolis, ut in negotio ejiciendi dæmonii ex puero Lunatico actum fidei de certâ dæmonii ejectione, ne quidem sicut granum sinapis habuerint, sed succubuerint hactenus, ut dæmonium ejicere non potuerint. Unde verò non sequitur; Ergò nullum planè donum miraculosum fidemq; miraculosam habitualiter, ut sic loquamur, & ne quidem, ut granum sinapis, amplius habuerunt. Quemadmodum non sequitur, eum, qui nunc montem hunc non transfert, non habere donum miraculosum transferendi montem ullum. Ubi namque impulsus non est Spiritus Sancti ad patrandum nunc & hoc

3.

Ad. 2.

Resp. 1.

2.

hoc miraculum: ibi non est actus fidei miraculosæ ad istud miraculum relatus, neque effectus seu opus sequitur; salvo nihilominùs & dono & fide miraculosâ. Objiciunt. III. *Præterea* Ad. 3.
Paulus 1. *Corinth.* 13. *ad transferendos montes omnem, id est, maximam fidem exigit. Si (inquit) habuero omnem fidem, id est, perfectissimam & maximam, ita ut montes transferam &c. Quonam igitur modo Christus fidem sicut granum sinapis, i. exiguam, ad transferendos montes satis esse ait?* Ad hanc objectionem respondet Resp. 1. à Maldonato.
Maldonatus h. l. *Respondeo, eandem fidem diverso respectu, & à Christo minimam, & à D. Paulo maximam appellari: minimam quidem à Christo ad eam, quam Apostolos tàm diu cum ipso versatos habere oportebat; non enim significat, Apostolos ne minimam quidem habere fidem, quippe magnam habebant, qui ipsum paulò antè Filium DEI confessi fuerant; sed reprehendentis more utitur hyperbole & exaggeratione, quasi dicat, si minimam fidem habueritis, id est, tantam, quantam habere deberetis, non majorem, diceretis monti huic, transi hinc, & transiret &c. D. autem Paulus eandem fidem comparatione ejus, quam aut ipse, aut alij vulgò habebant, maximam vocat, quia nemo dum eo perveniisse videbatur fidei, ut montes verbo transferre posset.* Verùm de hâc *Maldonati* responsione *Barradius* dicit; Sed non satis congruè.
Non placet interpretatio, etsi acuta & ingeniosa. Neque immeritò: quanquam *Barradius* non satis idoneis argumentis impugnat. Nos malumus dicere, ab Objicientibus supponi, quod elumbe est: nim. Omnem fidem, Apostolo esse fidem perfectissimam & maximam; quod verò falsum est. Nam Apostolus Cap. XII. præced. docuit, non esse unam fidem, sed multiplicem, juxta diversa miraculorum genera; quando, ut paulò ante citavimus, dicit; *Alij* (data est) *fides per eundem spiritum: alij verò dona sanationum: alij verò operationes virtutum vers.* 9 10. Hîc itaque omnem fidem miraculosam Cap. XIII. simul sumit, dicitque; *si habuero omnem fidem* scil. donorum sanationum, donorum operandi virtutes, reliquorumq; omnium, *adeò ut montes etiam transferam*, dono etiam transferendorum montium non destitutus. Ex quo, si concedatur donum transferendorum montium maximum esse inter reliqua genera donorum, virtutum miraculorumque, non tamen sequitur, quod fides in hoc genere doni transferendorum montium non detur minima & maxima seu perfectissima. 2. Nos potius aliter.

sima. Vult autem Christus Apostolis in nostro loco dicere; Adeò non deest vobis omne donum miraculorum, etiam transferendorum montium, & adeò ego vobis in præstandis quibuscunque effectibus miraculosis non desum; ut, si fidem modò actualem vel minimam habueritis, nec per incredulitatem hæsitaveritis, dicere possitis huic monti, Tolle te hinc illuc, demigraturus sit. Quomodo nullo modo Christus & Paulus invicem adversantur. Manet ergò Christum ratione parvitatis seu exiguitatis instituere in nostro loco comparationem inter fidem & granum sinapis.

Qu. III. Quodnam subjectum? Resp. 1. Apostoli.

§. 16. Quæritur III. Quodnam *fidei miraculosæ*, comparatæ cum grano sinapis, hoc loco *subjectum* sit? Non prolixam tamen hæc Quæstio desiderabit disputationem. Christum cum discipulis suis seu Apostolis loqui certum facit textus loci nostri. Apostoli namque, exceptis tribus, Petro, Jacobo & Joanne, fuerunt, ad quos puer Lunaticus à Patre suo adductus fuit, qui ab eodem, ut dæmonium ejicerent, rogati fuerunt, nec præstare id potuerunt. Hi iidem Apostoli fuerunt, qui, postquam dæmonium à Domino ejectum est, interrogaverunt, Quare nos non potuimus illud ejicere? Hi iidem itaque etiam sunt, quibus à Domino dictum est; *propter incredulitatem vestram: amen enim dico vobis; si fidem habueritis vel habeatis sicut granum sinapis &c.* Sed cum non tantùm Apostoli, sed Christiani etiam, vel hypocritæ fuerint (fuit enim inter illos adhuc Judas Ischariotes:) quæritur; in quo considerandi statu sint? an, ut Apostoli, an ut Christiani, sive boni sive mali? Ubi dicimus, considerandos esse, tanquam subjectum fidei miraculosæ, non quatenus Christiani sive boni sive mali, sed quatenus Apostoli fuerunt. Non considerari possunt. 1. tanquam boni Christiani: quia inter eos etiam fuit Judas proditor, qui certè bonus Christianus non extitit. Si etiam Apostoli fuissent subjectum miraculosæ fidei, quatenus boni erant Christiani, sequeretur, omnes Christianos posse habere fidem miraculosam, ita ut montes etiam è loco in locum transferre possint; quod falsum esse, non scriptura tantùm, sed & experientia abundè testatur. Minùs 2. tanquam mali Christiani considerari possunt. Nam tales non, nisi Judas Ischariotes, extiterunt. Præterea sequeretur, quod omnes mali Christia-

2. In quo statu considerati. nimir. (1.) non Christianismi veri, (2.) minùs, mali.

Christiani fidem miraculosam habeant; quod magis absurdum est. Quare 3. considerandi sunt, ut Apostoli, sive ratione Christianismi mali, ut Judas Ischariotes, sive boni, ut reliqui, exiterint. Et in hac opinione ipse pueri Lunatici pater fuit: ideò dixit; *adduxi eum ad discipulos tuos.* Si putasset, quemvis Christi fidelem posse dæmonia ejicere, & miracula edere, non opus habuisset ad discipulos Domini certos accedere; sed passim in Judæâ vel Galilæâ inveniset, qui in Christum credidissent. Nemo verò etiam tàm audax fuit, ut conaretur dæmonium ejicere, præter solos Apostolos Domini. Christus porrò ipse eos nobis sistit, tanquam eos, qui cum ipso semper fuerunt. Dicit enim; *ô natio incredula, & distorta, quousq; tandem ero vobiscum?* Jam verò Apostolos, ut Apostolos, elegit sibi Dominus, ut semper cum ipso essent. Ita namque legimus Marc. III. v. 13. & 14. *Et ascendit in montem, ac vocabat ad se, quos voluit ipse, & venerunt ad eum: & fecit, ut duodecim essent secum, & ut emitteret eos ad prædicandum.* Hi sunt, quos Salvator vocavit, & quibus promissionem dedit, non tantùm ut Evangelium prædicarent, sed etiam ut miracula omnis generis perpetrarent. Ita namque extat Matth. X. vers. 1. *Et accersitis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem adversus spiritus immundos, ut ejicerent eos, & sanarent quemvis morbum, & quemvis languorem.* Et Luc. IX. v. 1. *Convocatis autem duodecim discipulis dedit* (JESUS) *illis potestatem & autoritatem super omnia dæmonia, & ut morbos sanarent.* Quemadmodum itaque potestatem & autoritatem dedit illis super omnia dæmonia: ita non dubium est, quin dederit etiam super dæmonium pueri Lunatici, nisi incredulitas eorum obstitisset. Probè sanè hoc observandum est, quod Apostolis, ut fierent subjectum fidei miraculosæ & doni patrandi miracula, non sufficerit communis ad Christianismum vocatio, sed peculiaris vocatio & promissio, quibus eadem conferrentur, necessaria fuerit. Negari namque non potest, quin communis ad Christianismum vocatio omnibus Apostolis contigerit à Domino, antequam Apostoli & Thaumaturgi fierent.

Sed (3.) Apostolatus. quod probatur.

Marc. III. v. 13. 14.

Matth. X. v. 1.

Luc. IX. v. 1

§. 17. Obsevandum tamen præterea est, quod vocatio & promissio ejusmodi donum quidem miraculosum fidemque, vel, ut scripturæ suprà citatæ loquuntur, potestatem & autoritatem Apostolis contulerint: sed subjectum tantùm remotum operationum

Et declaratur.

tionum miraculoſarum conſtituerint ; ita ut DEUS, vel, quod idem, Chriſtus vellet per eos patrare miracula, quando ipſi placeret; non autem, ut Apoſtoli ederent miracula, quando ipſis videretur, & luberet. Hinc non omni tempore & ubique locorum, prout lubuit, miracula fecerunt, aut facere potuerunt. Et ingens fuit diſcrimen inter Chriſtum Dominum & inter Apoſtolos, diſcipulos ejus. Chriſtus namque Dominus ſicut ex propriâ virtute edidit miracula: ita etiam edidit, quando voluit, ubi voluit, quibus voluit. Et quanquam de eo ſcriptum eſt reverſo in patriam ſuam Nazareth ; *Non edidit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum* Matth. XIII. v. ult. *Et non poterat ibi virtutem ullam edere ; niſi quod paucos infirmos impoſitis manibus ſanavit* Marc. VI. v. 4. Ideò tamen non poterat, quia non volebat, propter incredulitatem eorum, quâ offendebatur. At Apoſtoli, diſcipuli Chriſti, ſicut non ex propriâ virtute miracula patrarunt; ita non potuerunt patrare, quando, ubi, & quibus voluerunt; ſed ubi Chriſto placuit virtutem ſuam per illos exerere. Quæ cùm ita ſe habeant : ut Apoſtoli fierent ſubjectum proximum patrandorum miraculorum, requirebatur ex parte DEI ſingularis motus & impulſus ad patrationem uniuscujusque excitans, & nonnunquam ſimul vocationem & promiſſionem ſupplens; ex parte autem diſcipulorum fides divino motui & impulſui confidens ſine hæſitatione, & ipſum opus aggrediens. Ita de Apoſtolo Paulo legimus Act. XIII. v. 9. & 10. Elymam magum excæcaturo ; *Saulus autem, qui idem Paulus, repletus Spiritu Sancto, intentis in eum oculis, dixit ; ô plene omni dolo &c.* Sic idem Act. XVI. v. 18. Διαπονηθεὶς, *agrè ferens*, nim. Spiritu Sancto ad ægritudinem impellente, ejecit Spiritum Pythonis ex ancilla aliqua. Talia etiam in contextu hiſtoriæ noſtræ deprehendimus. Nam Apoſtoli rogati à patre pueri Lunatici conati ſunt dæmonium ejicere ex puero: qui conatus utique ab impulſu Spiritus Sancti oriundus fuit. Cum enim fidem non habuerint, quæ animos ipſis addidiſſet, auſi non fuiſſent conari quicquam : niſi ſingulari motu ſuo Spiritus Sanctus ad conandum inſtigaſſet. Sed licet hîc impulſus ipſis neceſſarius fuerit, nec à DEO negatus : prætereà tamen fides etiam eorum motui ſeu impulſui DEI juxta vocationis & promiſſionis pridem factæ vigorem conſentiens & confidens

Matth. XIII. v. ult.
Marc. VI. v. 4.
Act. XIII. v. 9.
Act. XVI. v. 18.

requiſita

requisita fuit. Quam cùm non adhibuerint : dæmonium ejicere non potuerunt. Et quid plura? De Christo ipso singularem ad edendum miraculum motum deprehendimus Johan. XI. v.38. ubi dicitur; *JESUS ergò rursum fremens in semetipso venit ad monumentum* (Lazari) &c. Quid ergò miri est, si Apostoli Domini nullum sine singulari & peculiari impulsu divini Spiritus miraculum patrarunt? Nec in dono miraculorum solo necessarius erat singularis DEI impulsus : sed in donis etiam Spiritus aliis seu charismasi ex. gr. Prophetiæ. Certum namque est, quod Prophetæ prædictiones non ediderint semper, & ubique; nec quando, ubi, & quomodo ipsis lubuit; sed quando super eos spiritus DEI venit, & prædictiones prædictionumque verba eis dictitavit. Atque hoc est, quod Interpretes dicere solent, eos qui dono miraculorum polluerunt, fecisse miracula, quando vel necessarium vel utile. Quippe hâc de necessitate & utilitate judicium certum ferre, non hominum, sed solius DEI fuit. Sed hæc etiam de subjecto fidei miraculosæ in loco nostro dicta sunto. Ioh. XI. v.38.

§. 18. Supereſt, ut de Effectis IV. etiam fidei miraculosæ, quæ sicut granum sinapis est, aliquid dicamus. De his verò locus noster sic habet : *dicetis monti huic; transfer te hinc illuc, & transferet se: & nihil erit vobis impossibile : hoc autem genus non egreditur, nisi per precationem & per jejunium.* Juxta Interpretes duplices hinc faciendi essent Effectus fidei miraculosæ illius, quæ sicut granum sinapis est : alii affirmativi, hoc est, quos fides ista exigua patrare potuerit; alii negativi, hoc est, quos eadem fides patrare non potuerit. Illi sunt his verbis comprehensi; *dicetis monti huic, transfer te hinc illuc, & transferet se : nec quicquam vobis erit impossibile.* Hi verò reliquis; *Hoc verò genus non exit, nisi per preces & jejunium.* Communis namque Interpretum interpretatio est oppositionem quandam à Christo fieri, ut priora per fidem sicut granum sinapis exiguam patrari possint; posterior autem dæmoniorum ejectio amplius quid requirat. *D. Hunnius* in h.l. *subjicit*, inquit, *Dominus; sed hoc genus non egreditur, nisi per deprecationem & jejunium : facta mentione generis dæmoniorum, discernit inter immundos Spiritus, quorum nonnulli sunt robustiores & nequiores cæteris, ad quorum ejectionem pluribus adminiculis sit opus, fide, precatione ardente, & jejunio insuper.* *D. Lyserus* in Harm. loc.

Qu. IV. de Effectis. Vbi 1. disputatur; An aliquis hic sit Effectus Negativus? & (1.) Pro Affirmativâ quæstionis videtur facere communis Interpretum. D. Hunnii. D. Lyseri.

loc.cit. *Deniq; quærat quis, cur illa sententia sit adjecta; Hoc autem genus nullâ re potest exire, nisi per deprecationem & jejunium. Posset enim quis existimare, Christum sibi ipsi contradicere, ac proinde objicere: si fidei omnia possibilia: ad quid ergò requiruntur preces & jejunium. Sed si attendamus, cum quibus Christus hîc agat, tum res erit plana. Agit nimirum cum Apostolis, qui non caruerunt omni fide: & tamen dæmonium ejicere non poterant. Ratio fuit: quia tum fides eorum torpebat. Dicit ergò Christus, hoc genus dæmoniorum. Quodnam est illud genus? Numne dæmonia lunatica, ut aliqui opinantur? Aut: an dæmonia contumaciora & ferociora? ut alij volunt. Equidem alia dæmonia aliis nequiora & deteriora esse, ipse Christus testatur Luc.11.v.26. sed hic intelligit, quando Satanas invaluit diuturnâ possessione, & ex Dei permissione atrociùs grassatur, tum non sufficere perfunctoriam fidem, sed opus esse fide vivâ, ardente, efficace. Hanc verò, ut talis sit, excitandam esse precatione. Oratio flabellum est fidei. Rursus, ne oratio sit frigida, eam excitandam esse jejunio &c.* Non abeunt Pontificii: nisi quod ex suis loquuntur principiis. *Barradius* in h.l. *Fuit*, ait, *incredulitas discipulorum causa, cur dæmonem non potuerint expellere. Addit Dominus aliam causam. Hoc (inquit) genus non ejicitur, nisi in oratione & jejunio. Discipuli autem non jejunaverant, & forsitan neq; ad faciendum miraculum oraverant Dubium est: Quodnam sit hoc dæmonum genus? D. Chrysostomus, omne dæmonum genus esse ait. Idem sentit Euthymius, & Divus Thomas. Abulensis Lunaticorum dæmonum genus esse putat. Cajetanus, eorum, qui reddunt homines surdos ac mutos, quiq; illos præcipitant ab infantia, modò in ignem, modò in aquam, qualis hic erat. Stapletonus in Antidotis adversus hæreticos, eorum qui diu quempiam possederunt. Lyranus, eorum, qui ad libidinem provocant &c. Maldonatus* in h.l. *Athanasius*, scribit, *in lib. de virginitate, Chrysostom. Euthym. & Divus Thomas in hujus loci commentarijs existimant, non unum aliquod certum, sed omne dæmoniorum genus significari, quod ejusmodi sunt omnes, ut non nisi per orationem & jejunium expelli possint. Verum multa dæmonia Apostoli, non oratione, & jejunio, sed nominis Christi invocatione pepulerant Luc.10,17. Etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Loquitur ergò Christus de certo aliquo dæmoniorum genere, in quo expellendo plus sit, quàm in aliis, difficultatis: ita ut orationem atq; jejunium oporteat adhibere. Quod autem id genus*

Barradii. Maldonati.

nus sit, incertum &c. Mihi obstinatissimum & ferocissimum genus dæmonum videtur indicari: loquitur enim Christus de dæmone, tanquam de aliquo hoste arcem custodiente, qui quò ferocior & obstinatior est, eò difficilius pelli potest. Hæc *Maldonatus.* Conferantur Interpretes alii.

§. 19. Verumenimverò nondum tamen confectum esse existimamus, quod talis oppositio sit. Nam certum nobis est, quod fides, jejunium & preces sibi invicem non opponantur; sed se invicem includant, ideò quod fides precibus & jejunio utitur. Adeò certum hoc est, ut etiam minima fides oret, vel etiam simul jejunet. Pater Lunatici exiguam profectò fidem habuit, etiam post admonitionem Christi, quando dixit; *credo Domine, succurre incredulitati meæ*: nihilominus ardentissimè & cum lachrymis oravit. Et aliâs quoque experientia probat, quod qui minorem habent fidem, magis orent & jejunent, quàm qui majori fide præditi sunt. Nec obscura ratio est: quò namque quis magis sibi timet, & cum incredulitate luctatur, eò magis orat & jejunat. Contrà; ubi major fides, ibi major etiam confidentia est de DEI gratia & cooperatione. Unde inverti potest, quod *Maldonatus* habet, dicique; quod Apostoli sæpè in nomine Christi solo, sine longis precibus & jejunio dæmonia ejecerint, quod promissioni Christi emittentis firmiter confisi fuerint. Nec habent hîc Pontificii, nisi quod ex precibus & jejunio bona opera meritoria faciunt, quæ fidem suo merito adjuvent. *Errant*, inquit *Maldonatus* h.l. *hæreticorum Interpretes, existimantes, orationem & jejunium non nisi tanquam cotes, quibus fides acuitur, desiderari. solâ enim fide dæmonem pelli, cæteraq; fieri miracula. Quod si verum esset, sufficiebat superior illa sententia v.20. si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit. Nunc autem manifestum est, Christum fidem, orationem & jejunium, tanquam tria distincta remedia, proposuisse. Fateor & oratione fidem, & jejunio orationem excitari, sed non propterea neq; orationis neq; jejunij ullæ sunt partes. Similis eorundem error est, jejunium nihil habere meriti, quod jam olim similis ipsorum hæreticos Jovinianus dixerat, quem Hieronymus confutavit.* Verùm *Maldonatus* calumniosè nos hæreticos vocat, & cum Joviniano comparat: nec suas hypotheses probat; quibus propterea refutandis hîc non occupamur. Ad textum nostrum potius redimus: in quo diximus,

Sed (2.) Negativa magis placet.

Marc. IX.

& contrà Pontificios, inpr. Maldonatum.

defenditur.

non esse oppositionem inter fidem, orationemque & jejunium; sed inclusionem potiùs. Sed nec oppositionem cogimur inter hoc genus & alia opera miraculosa facere. Nam particula adversativa δὲ, *verò, autem*, non necessariò oppositionem infert: sed eidem distinctio quædam rerum satisfacit; cujusmodi hîc quidem loci etiam agnoscimus. Christus in genere locutus est, cùm dixit; *si habeatis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic &c.* Et manifestum est, quod non de uno certo monte sermo ipsi sit; sed translationis montium, tanquam insignis generis miraculorum, sub quo alia quæcunque contineantur, meminerit. Sensus est; si habeatis fidem sicut granum sinapis, per quam cum precibus & jejunio etiam rogetis Deum: dicetis huic quoque monti, ut de minoribus miraculorum generibus non dicam &c. Quod egregiè cum illo Apostoli Pauli convenit; *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam &c.* Ubi non videmus, quare ullum etiam genus dæmoniorum excipiendum sit. Neque verò etiam plerique Interpretes omne genus dæmoniorum excipere audent: sed certum tantùm quoddam ferocissimorum & obstinatissimorum. At nos dicimus, ne hoc quidem jure excipi posse: cùm certum sit, translationem montium opus esse tàm arduum, maximè si non solùm montes dejiciantur, sed in mari etiam plantentur, sicut arbores, quarum mentio fit Luc. XVII. v. 6. ut omnes diaboli non possint id præstare, sed creatoriâ virtute opus sit. Qui ergò transferre montes potest, qui non potius quodcunque dæmoniorum genus ejicere possit? Neque verò etiam textus noster certum tantùm dicit dæmoniorum genus: sed omne, ut Chrysostomus, & cum eo alii Interpretes observant. Non enim textus noster oppositionem facit inter genera distincta dæmoniorum, sed inter dæmonia atque translationem montium cum aliis miraculorum generibus sumtam: si statuere oppositionem velimus. Quæ cùm ita se habeant, in hoc manemus, quod oppositio hîc nulla sit. Hoc autem dicimus, quod Generi certa subjiciatur species, ad quod particulatim applicetur, quod in genere dictum fuit. Dictum fuit à Salvatore, quod si Apostoli habeant fidem sicut granum sinapis, possint quævis & omnis generis miraculosa opera efficere, adeò ut montes etiam transferre possint: prorsus sicut Paulus (dubio procul ad hoc Christi dictum digitum intendit) inquit: *Si habuero*

Luc. XVII. v. 6.

omnem

omnem fidem, adeò ut montes transferam. Generaliſſimum itaque dictum eſt. Quod inprimis urgent verba; *Et nihil vobis erit impoſſibile.* Sub hoc jam Salvator ſubſumit ſpecialiter id genus miraculi, quo dæmonia ejiciuntur, & ad hoc applicat, quod de fide in genere dixit; nominatim verò de hoc genere miraculi, hoc eſt, expulſione diabolorum verum eſſe, quod fides, ſaltem ſicut granum ſinapis, cum precibus & jejunio Deum invocans, ad illud requiratur, adeò ut ſine precibus & jejunio fidei non exeant diaboli. Inſuper hoc quoque obſervandum eſt, quod ex ſenſu membrum aliquod in textu ſubintelligendum & ſupplendum ſit, ut ſibi conſtet cohærentia h.m. *Si habeatis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Transfer te, hinc illuc, & transferet ſe: nec quicquam vobis erit impoſſibile.* Contrà verò ſi non habueritis fidem precantem & jejunantem: nihil quicquam præſtare poteritis. Nominatim verò *hoc genus*, hoc eſt, diaboli, *non exit, niſi per preces & jejunium* fidei. Ita quid ſive in cohærentia ſive in ſenſu deſideretur, non equidem videmus.

§. 20. Ex his hactenus diſputatis apparet, non opus eſſe, ut ullum Effectum negativum, hoc eſt, qui fidei ſicut granum ſinapis exiguæ, veræ tamen, denegetur, ſtatuamus. Unde nobis omnes Effectus Affirmativi ſunt, qui eidem fidei, tanquam poſſibiles attribuuntur. Ex his I. nominatur expreſsè translatio montium. *Si habeatis*, inquit Salvator, *fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Transfer te hinc illuc, & transferet ſe.* ἐρεῖτε, *dicetis*: ait I. Salvator ad diſcipulos. Ubi quod τὸ *Dicere*, non ſit planè arbitrarium, in hominum arbitrio poſitum, ut temerè etiam dicere liceat ipſis; ſed quod divinum impulſum & ordinem præſupponat, ex iis quæ ſuperiùs jam añotata ſunt, conſtare poteſt. Et eſt *dicere*, quod ex fide cum invocatione nominis divini, vel jejunio etiam, factum eſt. Eſtque hoc *dicere* nihil aliud, quàm clarum dicere, audientibus hominibus: propter quos miracula facienda ſunt. Vel ſaltem conſiſtit in ejusmodi ritib⁹ externis, per quos æquè, ac per verba oris, negotium manifeſtatur. Quemadmodum ipſe etiam Salvator ritibus ejusmodi non ſemel uſus eſt. *Dicetis.* 2. τῷδε τῷ τόπῳ, *Monti huic.* In conſpectu tum temporis fuiſſe Salvatoris montem, eumque inſignem & procul à mari diſſitum, quem diſcipulis ſuis manu monſtraverit, indicat pronomen Demonſtrativum, τούτῳ, *huic.*

2. Effectus Affirmativi proponuntur. quorum (1.) Translatio montium. de quâ annotantur quædã, (1.) (2.)

Credi-

Credibile eſt, illum ipſum fuiſſe montem, in quo Dominus transfiguratus eſt cum gloriâ. Hoc verò etiam Interpretes annotant. Emphaſis eſt, tùm magnitudinem tùm certitudinem exaggerans; q.d. Dicetis, non tantum rebus levibus ac montibus humilibus, ſed vel huic monti inſigni altiſſimoque, vel ejuſſimilibus &c. de quo certiſſimi eſſe debetis. Patet hinc etiam, quod Salvator unum quidem montem monſtraverit, ſed reliquos omnes incluſerit. Mirum verò fortè videbitur, quare Apoſtoli, ad hoc ipſum Chriſti verbum & demonſtrationem, translationem montis non ſtatim tentaverint. Verùm Apoſtolis non ignotum fuit, quod Dominus de tempore, quo in vocatione ſuâ impulſum divini ſpiritus ad ſuſceptionem miraculi ſentirent, loqueretur q.d. *Si habeatis fidem* ſicut granum ſinapis, fiatque, ut ſpiritus meus ſanctus vel ad translationem hujus montis impellat, dicetis huic eidem monti &c. Jam cùm translatio montium inter difficillima & maxima miraculorum opera habenda ſit: non malè ad quævis vocationis cujuscunque hominis Chriſtiani opera valet Conſequentia. Quò pertinent *Dn. D. Brentij* verba: *Quod autem de transferendis montibus*
D. Brent. h.l. *dicitur, ſynecdoche eſt, ſpecies pro genere. Intelligendum enim eſt pro iis operibus, quæ natura ſunt impoſſibilia. Hæc igitur eſt ſententia; Si quis habet vocationem & promiſſionem verbi Dei, ac adhibet ei vel parvam fidem, efficiet grandiora & majora, quàm natura effici poſſint, in ſuâ vi-*
(3.) *delicet quisq; vocatione &c.* Quid 3. dicetur monti? μετάβηθι, *Tranſi, Tranſfer te hinc illuc.* Apud alium Evangeliſtam additum eſt, *& projice te in mare*: quod mare videtur procul fuiſſe diſſitum, ut per diſtantiam ejus miraculum augeretur. Imperativus eſt, obedientiam, quam vocant, paſſivam denotans. Agens eſt, qui dicit, *Tranſi*; ſed inſtrumentaliter. Cauſa principalis verò eſt, quæ dicere jubet, & ad dicendum impellit q.d. Dicetis monti huic, Tranſi, & ego faciam, ut tranſeat. Hîc ſibi objiciunt Interpretes, quod non legamus, Apoſtolos ullum unquam montem tranſtuliſſe. Reſpondent partim, non omnia miracula, quæ Apoſtoli perpetrarunt, ſcripta legi; partim, alios fideles poſt Apoſtolos tranſtuliſſe. Sed quicquid iſtius ſit: Salvator non prædixit, quid certò aliquando futurum eſſet; ſed fidem diſcipulorum confirmavit de hoc, quod nihil ipſi & DEO Patri ipſius impoſſibile eſſet præſtitu, ad quod patrandum ipſos vocaturi eſſent aut motu ſuo impulſuri; ut adeò

nulla

nulla eos hæsitatio interturbare & superare deberet, si maximè transferendi quoque essent maximi montes,& in mare projiciendi. Observandum namque est, de quo quæstio fuerit. Apostolis ejiciendus fuit diabolus Lunatici pueri:sed non potuerunt. Quæsiverunt itaque; *cur nos non potuimus ejicere?* q. d. quum ejicere potueris per teipsum : quare nos non potuimus? num per nos non potuisti;an non voluisti?utroque modo in te culpa erit. Hoc sc. ingenium hominum est, ut, quando in ipsis culpa est,in Deum eam conjicere conentur.Respondet itaque Christus;Nulla in me, ut vos suspicamini,culpa,sed in vobis est:propter enim incredulitatem vestram ejicere diabolum non potuistis. Me verò quòd attinet:Amen dico vobis, si vel hic insignis altissimusque mons vobis in vocatione vestra & ad impulsum meum transferendus foret, sine omni difficultate transferrem illum, modò vos haberetis fidem sicut granum sinapis. Similes hîc fuerunt Apostoli Patri pueri Lunatici : qui cùm in ipso culpa esset, dubitavit de Christo, dixitque; *Domine, si potes aliquid, succurre nobis.* Cui Dominus; *si tu potes credere,* hoc est, Ego possum facere, nec dubitandi de mea potentia tibi ratio est : si tu modò posses credere, nec in te culpa incredulitatis foret. *Omnia possibilia sunt credenti :* si quis crediderit, me omnia posse, ipso mox opere experietur, me omnia posse. Atque hic *primus Effectus* est.

§. 21. *Alter Effectus* II. indicatur verbis; καὶ οὐδὲν ὑμῖν ἀδυνατήσει, *Et nihil vobis erit impossibile.* Effectus hic Universalis est. Licet namque, ut suo jam diximus loco, Translatio montium alios Effectus simul includat, cùm qui majus potest, possit etiam minus : ut tamen clarius fieret, Dominum non solam translationem montium, sed quarumcunque operationum miraculosarum patrationem significare voluisse; Universalem locutionem expresè subjunxit;eamq; negativam,ut majori cum emphasi loqueretur; *Et nihil vobis erit impossibile.* Ubi τὸ οὐδὲν, *Nihil,* restringunt quidem ad similia & inferiora, quod nihil eorum, quæ translationem montium non superent, ipsis futurum esset impossibile: nimirum, ut vel omne, vel certum saltem dæmoniorum genus excipiant. Verùm non invenimus ullam rationem,cur locutionem de Universalitate emphaticam restringamus. Potiùs rem invertimus,dicimusque;cùm Christus dicat; *Et*

(2.) Operatio omnium possibiliũ.

nihil vobis erit impossibile, includendam esse dæmoniorum etiam quorumcunque ejectionem; adeoque sequentia verba, *Hoc verò genus non exit &c.* ita exponenda esse, ut ab universali dicto nihil excipiant, sed sub eâ speciale quid subjungant : sicut suprà jam ostensum est. *Nihil*, inquit, ἀδυνατήσει ὑμῖν, *impossibile vobis erit*. Instrumentis seu ministris suis Dominus adscribit, quod suum est. Etsi namque in ministris Domini nihil propriæ virtutis est ad operanda miracula: quia tamen tàm bonus est, ut impotentium ministerio ad ostendendam potentiam suam utatur, non invidet illis etiam hunc honorem, ut facere dicantur, quod ipse facit. *Nihil vobis impossibile erit*, hoc est, fient vobis (à me,) quæcunque dixeritis; juxta id, quod habetur Marc. XI. v. 23.

(3.) Ejectio dæmoniorũ.

§. 22. *Tertius* III. *Effectus* est ejectio dæmoniorum. *Hoc autem genus*, inquit Dominus, *non exit, nisi per preces & per jejunium*. Hunc Effectum negant Interpretes de fide sicut sinapi exiguâ; quasi illi soli impossibilis sit, sed vel majorem fidem requirat, vel cum ardenti etiam fide preces & jejunia. Sed suprà jam confectum putamus, quod non negetur, sed affirmetur hic Effectus de eâdem fide sicut granum sinapis parvâ: ita ut prolixiori probatione opus non sit. Nec obscura adeò res est, si, quod itidem monuimus, subintelligatur, quod subintelligendum est; Et nihil erit vobis impossibile; contrà verò nihil vobis erit possibile, si non habeatis fidem, ne quidem sicut granum sinapis, quâ cum precibus & in jejunio petatis, quod volueritis. Hoc verò nominatum genus nõ exit, nisi per preces & jejunium fidei. Τὸ δὲ τὸ γένος, *Hoc genus* objectorum fidei miraculosæ, hoc est, diaboli, qualis fuit, cum quo vobis negotium fuit. οὐκ ἐκπορεύεται, *non exit*, id est, non ejicitur, non exit ejectum. Non quod per ipsos diabolos stet, ut exeant, vel non exeant: sed quod à Deo vel Christo non ejiciuntur, nec exire eos jubentibus Deus vel Christus hanc gratiam exhibent, ut diabolos expellant, sicut possunt: nimirum, non credentibus, & in fide orantibus atque jejunantibus. Quando Dominus dicit; εἰ μὴ ἐν προσευχῇ & νηστείᾳ, *in precibus & jejunio*: manifestum est, quod προσευχὴ & νηστεία, *preces & jejunia*, non simpliciter & in se sumi possint. Nam multum precati sunt Pharisæi, & sæpissimè jejunarunt: omnibus tamen suis precibus & jejuniis vel unicum diabolum expellere non potuerunt. Quare preces atque jejunia ex verâ fide, si maximè

maximè exiguâ, profecta neceſſariò intelligenda ſunt : in quibus fides reſpicitur.

§. 23. Cæterùm quando tanti, tam multi, tamque inſignes Effectus fidei, quæ ſicut granum ſinapis exigua eſt, à Salvatore adſcribuntur: non vult idem, quaſi majori fidei ſtudendum non ſit; ſed ad hoc ipſum ſtudium excitat. Vult namque nos, quod & promtum eſt, à minori fide ad majorem concludere; Si qui fidem habet ſicut granum ſinapis, poteſt montes transferre, diabolos ejicere, nec quicquam illi impoſſibile eſt: multò magis hæc omnia poterit, qui majorem fidem habet: Atqui prius verum eſt: Ergò & poſterius. Suam Dominus promtitudinem laudat: non noſtram fovet ſegnitiem. Ut idem nos in fide magis confirmet: etiam exiguam ſibi non diſplicere affirmat. Ne infirmos terreat: fortiores non commendat. Quod verò de miraculoſâ fide effatus eſt: ad alia fidei diſcrimina debito modo & cum piâ prudentia vult accommodatum: quod prolixiùs, de fide inprimis Juſtificante, fieri poſſet, niſi nos ad fidei miraculoſæ ulteriorem conſiderationem inſtitutum noſtrum vocaret, quatenus præcipuè ex loco noſtro diſci poteſt.

IV. De Fide Miraculoſa agitur

§. 24. *Eſt* itaque 1. *reverà fides miraculoſa aliqua, à Fide Juſtificante diſtincta.* Pontificiorum ingenium eſt, ut quando in dogmatis orthodoxis noſtris nihil inveniunt ſoliditatis, quare à nobis diſſentiant, de vocabulis litigent, & tricentur; eum in finem, ne nobis vel cedere aliquid, vel conſentire videantur. Exoſa illis eſt fides Juſtificans: cùm tamen negare nequeant, fidem juſtificationem ingredi, & ſaltem ejus aliquod initium facere, unde contendunt, hanc fidem tamen eſſe communem fidem Catholicam ſeu Chriſtianam. Et cùm videant, objici illis poſſe, non omnem fidem eſſe Catholicam & Chriſtianam, quod vel fides miraculoſa probet: audacter affirmant, Fidem etiam miraculoſam eſſe Fidem Chriſtianam ſeu Catholicam. Sed res in ſcriptura manifeſtior eſt, quàm ut omnes hoc de fide miraculoſa dicere audeant. *Bellarminus* quidem pro ſui ingenii impudentia ſcribere non erubeſcit lib. 1. de Juſtif. c. 4. *Jam verò Catholici agnoſcunt quidem vocabulum fidei in divinis literis non ſemper & eodem modo ſumi &c. tamen fidem hiſtoricam, & miraculorum, & promiſſionum unam & eandem eſſe docent, atq; illam unam non eſſe propriè notitiam, aut fiduciam, ſed aſſenſum certum atq; firmiſſimum, ob auctoritatem primæ veritatis, &*

1. An aliqua ſit? quod Affirmatur,

& probatur contra Bellarminum.

hanc unam esse fidem justificantem. Juraveris propè, omnes Pontificios idem prorsus sentire.

§. 25. Sed longè aliter se habet. Producemus præter Jansenium & alios suprà nominatos, unum, qui post *Bellarminum*, vivente tamen illo, scripsit, *Justinianum*, & ipsum Jesuitam. Hic in 1. Corinth. XII. v. 9. ad verba; *Alteri fides in eodem spiritu &c.* ita commentatur: *Mirum, quod inter gratias gratis datas enumeret Apostolus Fidem, quam constat esse virtutem Theologicam. Sed non desunt, qui hanc fidem à Theologica ita distinguant, ut theologica quidem, fides dogmatis sit; hæc verò miraculorum. Ita Chrysostomus, Fidem, inquit, non dicens eam, quæ est dogmatum, sed eam, quæ est signorum; de quâ dicit; Si habeatis fidem, tanquam granum sinapis, dicetis huic monti, Transi hinc, & transibit: de ea quoq; rogabant Apostoli, dicentes, Adde nobis fidem; hæc enim est mater signorum. Atq; hæc est Chrysostomi perpetua sententia. Chrysostomum sequuntur Theodoretus & Theophylactus: idemq; sentit Hieronymus, Gregorius Nazianzenus, Novatianus & alij. Quanquam de ipsâ miraculorum fide non convenit inter omnes, quidnam illa sit, quaq; ratione à fide Theologicâ distinguatur.* Et post pauca; *Certum est inter Catholicos, præter fidem Theologicam virtutem interdum nominari fidem miraculorum; & fidem, quæ est gratia gratis data; & deniq; fidem, quæ inter fructus Spiritus Sancti recensetur.* Hæc Justinianus. Si itaque certum hoc est inter Catholicos, quos *Justinianus* vocat, hoc est, inter Pontificios: procul dubio fraudulenta audacia, & audax fraudulentia, quando contra nos negatur ab iis illa, quam fidem miraculorum & fidem miraculosam appellamus.

& juvat Justinianus in h.l.

II. in definitione ejus 1. ludunt Pontificii: & ex his Justinianus in h.l.

§. 26. Equidem II. in *descriptione fidei miraculosæ* adhuc ludunt. Ita namque porrò *Justinianus* scribit: *Itaq; cùm ad miraculatria videantur necessaria; mentis assensus, quo vel omnia fidei dogmata, vel præcipuè omnipotentia Dei ejusq; fidelitas credatur, & peculiaris quædam applicatio ad id, quod in præsentia postulatur; deniq; spes & fiducia, quæ oritur ex assensu fidei: satis constat, fiduciam pertinere ad spem, applicationem verò vel non esse semper necessariam, vel ab assensu naturâ non differre, ipsum verò assensum ad fidem Catholicam pertinere. Itaq; miraculorum fides à fide Theologica non quidem natura ipsa, sed extrinseca duntaxat conditione differt, hoc est, illâ peculiari applicatione, quâ quis judicat miraculum in præsentia futurum; quæ si non*

per

per se ac directè pertinet ad fidem, ad eam certè revocari debet. Et post pauca : *Quocirca fieri non rarò potest, ut viri præstanti virtute præditi, prudenter apud se statuant, nunc quidem adesse omnia, quæ sunt ad impetrandum necessaria, sive quia illa apertè cernantur, sive quia divino impulsu ad hunc assensum eorum mens excitetur, atq; ita miracula impetrent. Verùm quoniam hoc judicium multis modis variari, intendi ac remitti potest, nec per se (ut dictum est) sed quodammodo indirectè ad fidem Catholicam pertinet, non omnis, qui fide Catholicâ præditus est, fidem habet miraculorum, quæ præterea hunc assensum postulat, & necessariò conjungitur cum confidentia, quæ oritur ex assensu fidei.* Hæc qui refutantur illeiterum. Ubi observamus 1. Ingenium Pontificiorum, qui ubi hæret aqua, ad sua sibi sumta principia decurrunt: quæ nec probant, nec à nobis negari ignorare possunt. Ita *Justinianus* dicit: *Satis autem constat, fiduciam pertinere ad spem.* Nimirum, satis constat *Justiniano & Justiniani* similibus, qui sibi hoc sumunt, ne probare illud cogantur. 2. quod, ubi Pontificii ipsi non satis certi sunt, nihilominus ex incertis tanquam certis disputent. Ita iterum *Justinianus* hîc scribit; *Itaq; cum ad miracula tria videantur necessaria &c.* Tria videntur ipsi necessaria: nec certus adeò de iis est, ut simpliciter affirmet. Nihilominus mox per tria ista rem totam vult expedire. 3. Ex tribus istis primum est, mentis assensus, quo vel omnia fidei dogmata, vel præcipuè omnipotentia DEI ejusque fidelitas credatur. Atqui non necessarium esse, ut qui miracula vult perpetrare, assentiatur vel in omnia vel plura fidei dogmata, vel ex eo constat, quod qui veri Christiani non sunt, miracula facere nonnunquam valent. Unde ipse *Justinianus* fatetur, nonnullam tantùm fidem in operante miraculum necessariam esse. Et hîc mox subjungit; *vel præcipuè Omnipotentia Dei ejusq; fidelitas.* Præterea ipsa de omnipotentia Dei ejusque fidelitate fides nimis generalis est, & fidem miraculosam non nisi remotè constituere potest. Quod ipse Justinianus probè vidit: ideoque addidit 4. secundum, quod dicit esse applicationem quandam peculiarem omnipotentiæ DEI fidelitatisque ejus ad id, quod in præsentia postulatur. Quæ applicatio quid sit, *Justinianus* ipse certus non est: ideò disjunctivè loquitur; *Fieri non rarò potest, ut viri præstanti virtute præditi, prudenter apud se statuant, nunc quidem adesse omnia, quæ sunt ad impetrandum necessaria, sive quia illa apertè cernantur, sive quia divi-*

Idem.

(1.)

(2.)

(3.)

(4.)

no impulsu ad hunc assensum eorum mens excitetur, atq; ita miracula impetrent. Verumenimverò quomodo apertè ea cernuntur, quæ creduntur? Neque etiam divinus impulsus certus esse potest, nisi vocatione & promissione divinâ nitatur, aut secũ habeat. Fiducia,
(5.) quæ *Justiniano* tertium. 5. necessarium est, agnoscitur in fide miraculosa: non tamen illa, quæ spes tantùm quædam est, sed quæ fidei est, vel ipsa fides: assensus nimirum fiducialis in vocationem promissionemque divinam se resolvens, quibus non possit decipi.

2. Definitio D. Hunnii

§. 27. Noster *D. Hunnius* Fidem miraculosam ita describit; *Fides miraculosa est eximium & peculiare DEI donum, quo quis facultate operandi instructus, de successu nihil dubitat, sed planè sibi persuasum habet, eventurum esse, quod secundum promissionem Dei miraculosè facere conatur.* In quâ descriptione omnia contineri videntur, quæ ad fidem miraculosam requiruntur: nisi quod ampliùs
Exponitur (1.) exponenda videntur. Dicitur. 1. *DEI donum*: nimirum ex 1. Cor. XII. ubi Græcâ voce χαεισματα, dicuntur, quæ gratis à Deo dantur, prout vult. Ubi non necesse est, ut Charisma ejusmodi sit virtus aut habitus aliquis internè inhærens: sed sufficit vel internus aliquis divinus motus aut peculiaris DEI assistentia moraliter cooperans. Quomodo qui donum miracula perpetrandi habet, habet facultatem operandi, non physicam, sibique inhærentem, sed moralem; dum ad preces & verba ipsius Deus operatur omnipotenter, quod promisit. Cum namque vera miracula requirant omnipotentiam divinam, profectò nemo illa, qui Deus non est, ope-
(2.) rari potest. Dicitur 2. donum miraculorum patrandorum donum *eximium & peculiare. Eximium*, propter opera eximia h. e. miraculosa, quæ perpetrat: *peculiare*, quia non omnibus promiscuè conceditur, sed iis tantùm, quibus Deus pro suâ sapientiâ concedere vult; adeò ut neque à fide Justificante dependeat. Requiritur au-
(3.) tem hîc 3. *vocatio & promissio divina.* Ubi namque vocatio & promissio divina non est: ibi non potest esse conjunctio certa Causæ principalis & minùs principalis. Homines namque, qui miracula patrant, cùm nulla virtute propria aut qualitate infusa miracula edant, nec physicè, sed moraliter tantùm & ministerialiter se habeant: oportet esse moralem nexum inter eos & Causam principalem; qui non fit nisi per vocationem ad ministerium, & promis-
(4.) sionem de effectu ad opus ministerii certò præstando. Vocatio 4.

& pro-

& promissio si generalis aut communior est, ad plura miracula, diversis temporibus, locis &c. perficiendis, necesse est, ut ad singula *peculiaris vocatio* vel *impulsus divinus* subsequatur. Exemplum in Mose manifestum est: quippe qui primò in genere ad patranda in Ægypto miracula à Deo vocatus est; cui verò deinde Deus, quoties miraculum aliquod patrandũ erat, mandavit, ut baculo aquas vel pulverem percuteret, vel illum cœlum versus extenderet &c. Hîc verò 5. impulsus divinus peculiaris *juxta vocationem & promissionem divinam* judicandus est, ut quod revera à divinus sit, judicari possit. (5.) Quanquam 6. fieri potest, ut motus seu impulsus divinus sit *irresistibilis & ineluctabilis*: (6.) ad quem præcedanea aliqua vocatio aut promissio divina non requiritur. Quemadmodum prophetæ Jeremiæ venit divinus motus ad prophetandum, quem continere non potuit, etsi à prophetando desistere sibi proposuisset. In hoc 7. impulsu extraordinario & irresistibili fides miraculosa (7.) locum non habet. Cùm enim ineluctabilis & irresistibilis sit, neque incredulitas eum impedire, neque fides promovere valet. In motu autem 8. ordinario & resistibili fides miraculosa locum (8.) habet: tanquam quæ ita necessaria est, ut contraria incredulitas effectum miraculosum impediat. Cujus rei clarum exemplum textus, quem tractavimus, in Apostolis Domini nobis sistit, qui dæmonium ob incredulitatem suam ejicere non potuerunt, ipso Salvatore asserente. Fides ista miraculosa 9. non tantùm credit, quod Deus (9.) per omnipotentiam suam, cui nihil impossibile est, possit opus miraculi, quod perpetrandum venit, perficere; sed etiam quod nunc & per hoc ministerium, & si quæ concurrunt circumstantiæ, certò velit perpetrare. Id quod. 10. fidei miraculosæ persuadet adeò cer- (10.) tò, ut nulla dubitet, proposita divina vocatio & promissio cum impulsu divino præsenti conjuncta, cui non tantum qualitercunque assentitur, sed cum fiducia, tanquam fallere nesciæ, innititur, ad usque operis ipsius perpetrationem. Unde Fidem miraculosam 3. fortè clariùs ita describere possumus: *Fides miraculosa est hominis,* Alia etiam descriptio additur. *non tantum in genere vocationem & promissionem DEI specialem, sed de præsenti etiam impulsum divinum ad patrandum certum miraculum aliquod habentis, actus ejusmodi fidei, de certo miraculo edendo, qui eisdẽ vocationi, promissioni & impulsui resistibili divinis, tanquam infallibilibus, & certum à DEo eventum ad imperium jussumq; ipsius persua-*

perſuadentibus, tantâ cum fiduciâ innititur, ut ſine ullâ hæſitatione vincente promtè aſſentiatur, ipſumq; opus ſuſcipiat & perpetret. Unde jam conſtat, quæ ad fidem miraculoſam pertineant, & in quibus illa conſiſtat. Neq; enim difficile eſt, & notitiam, & fiduciam, & aſſenſum deprehendere: Et fiduciam quidem adeò neceſſariam eſſe, ut ſine eâ aſſenſus prudens, multò magis autem divinus, eſſe nequeat.

& 4. declaratur Exemplis (1.) Moſis & Aharonis Num. XX. v. 7. ſqq.

§. 28. Fortè res jam ſatis clara eſt: declaremus eam tamen, ſaltem ex abundanti, per exemplum unum alterumve. Unum nobis Moſes & Aharon præbent Num. XX. v. 7. & ſeqq. Ubi hæc leguntur; *Et locutus eſt Jehovah ad Moſen, dicendo; Sume baculum, & congrega cœtum, tu & Aharon, frater tuus, & loquimini ad petram, in oculis eorum* (populi Iſraëlitici,) *ut det aquas ſuas: atq; (ita) educes illis aquam è petra, & potabis cœtum & beſtiam eorum. Tum ſumſit Moſes baculum à coram Jehovah, quemadmodum præcepit illi: & congregarunt Moſes & Aharon cœtum ante facies petræ; dixitq; illis; Audite ergò rebelles, num ex petra hâc educemus vobis aquas? Sustulit verò Moſes manum ſuam, & percuſſit petram baculo duabus vicibus, exiverunt q; aquæ multæ, ita ut biberent cœtus, & beſtia eorum. Tum verò dixit Jehovah ad Moſen & ad Aharonem, propterea quod non credidiſtis in me, ad ſanctificandum me in oculis filiorum Iſraëlis non introducetis cœtum in terram, quam dedi illis.* Quod Moſes & Aharon.

circa quod quædam annotãtur. (1.) 1. fidem habuerint Eccleſiæ veram, nemo pius negabit fortè: ita quidem, ut retinuerint etiam, dum non crediderunt, aquas exituras è petra, niſi hæc infidelitas tantũ fuerit peccatum, ut fidem Eccleſiæ, quam vocare licet, ſeu juſtificantem, propter illud amiſerint. Quanquam Pontificii dicere coguntur, quod ſi maximè mortaliter peccaverint, gratiamque Dei amiſerint, fidem tamen iſtam non amiſerint.

(2.) Habuiſſe eosdem 2. fidem aliâs miraculoſam quoque, teſtantur tot miraculoſa opera, quæ partim in Ægypto, partim in deſerto

(3.) quadraginta annis perpetrarunt. Hoc chariſma. 3. ſic nihilominus habuerunt, ut non fuerit irreſiſtibile aut ineluctabile, quod fidem actualem, quam illi impedire non poſſent, produceret; Sed reſiſtibile, quod quoad actum ſaltem potuerit ab incredulitate ſuperari. Nam clare Dominus eos redarguit, dicitque; *Quia non credidiſtis in me.* Quæ incredulitas hæſitabunda prævaluit apud eos

(4.) contra fidem miraculoſam. Nec refert 4. quod event⁹ tamen conſecutus eſt largus, dum ex petra bis percuſſa multæ aquæ prodierunt.

runt. Hic namq; non effectus fuit fidei eorum miraculosæ: sed extraordinarius, secutus propter gloriam Dei, ut ipse se coram populo Israëlitico sanctificaret, quem Moses & Aharon coram illis non sanctificarunt: ut verba Domini hoc ipsum significant. Habebant 5. Moses & Aharon vocationem & promissionem patrandorum (5.)
miraculorum; per quam Moses baculo quoque, miraculorum patrandorum instrumento, instructus fuit. Cujus quoq; vocationis atque promissionis signum atque pignus, quum percutienda esset petra, adhuc secum habuerunt. Nec generalem 6. tantùm, sed & (6.)
specialem vocationem & promissionem ad educendas per baculum aquas ex petra. *Sume*, inquit Dominus ad Mosen, *baculum, & congrega cœtum, Tu & Aharon, & loquimini ad petram, ut det aquas.* In quo jam verò 7. constitit fides miraculosa, quam Moses & Aha- (7.)
ron adhibere debebant vocationi divinę tùm generali tùm speciali? Res sanè non obscura est. Notitiam habuit fides rei, quam credere deberet; credendum sibi esse, quod, si baculo semel percuteretur petra, aquæ toti populo & pecudib⁹ ejus sufficientes essent exituræ. Credendum autem ita fuit, ut ante omnia fiducia collocaretur in omnipotentiam Dei, quâ posset educere aquas ex petra, & in veracitatem ejus, quod, sicut promisisset se facturum, reverà etiam facturus esset. Ex quâ fiducia, omnipotentiæ & veracitati Dei firmiter innitente, sine hæsitatione assentiri debebat, in ipsum opus perpetrandum. Promtum porrò. 8. est intelligere, quid defuerit incredulitati Mosis & Aharonis. Nam cùm ex fiducia in omnipotentia & veracitate divina posita assentiri debuissent in hoc, ut loquerentur confidenter ad petram coram universo populo, jubentes aquam emittere: illi dubitarunt de hoc, quod possent aquas è petra educere, nec confidebant omnipotentiæ & veracitati DEI, quod juxta verbum suum posset DEus aquas per illos è petra educere; ideoque in tantùm quidem assenserunt, ut abirent, & percuterent petram, sed cum verbis diffidentiæ plenis; *Audite rebelles, num ex petra hâc educemus vobis aquas?* Habemus hîc sanè assensum ad faciendum, quod fieri debebat; sed destitutum eâ fiduciâ, quâ nixus non dubitaret de effectu. Quam fiduciam quoniã assensus iste non habuit, fides miraculosa non fuit: juxta ipsum judicium decisivum Jehovæ, qui ad Mosen & Aharonem dixit; *Quandoquidem* לא האמנתם בי *non credidistis in me &c.* Patet ex hoc (8.)

(9.) 9. etiam, quod quando de fide miraculosa loquimur, fides actualis consideranda sit: non habitualis, quæ si utique aliqua statuatur, non tamen ad actum specialem sufficiat, sine singulari Dei impul-
(10.) su & auxilio. Unde 10. curiosa potius quęstio est, quàm utilis; Num in homine charisma miraculosæ fidei habente sit aliquis habitus fidei, ex quo actus fidei de miraculo nunc, hîc, hoc modo perpetrando producatur. Quid enim? nonne si placeat Deo per hominem istum unum tantùm actum miraculosum edere, non proderit in omne reliquum tempus habitus iste? Potiùs quemadmodum charisma prophetandi non consistebat in habitu aliquo infuso, sed in motibus transeuntibus & revelatione supernaturali: ita quoque
(11.) fides miraculosa ejusmodi charisma extitit. Si quis tamen 11. præsupponat huic fidei actuali miraculosæ habitum aliquem generalem, ex quo homo ad impulsum & auxilium divinum aliquid cooperari possit: ipsa tamen actualis fides miraculosa distinctissima manet ab ea, qua creditur, quod Deus credenti mihi in Christum
(12.) certò peccata ex gratia remittat. Cùm 12. objecta credenda, quæ distinctissima sunt manentq;, manifestum discrimen introducant, & ejusmodi, ut qui ad miracula patranda non vocatur, nullam unquam actualem fidem miraculosam habere queat; licet Justificantem ad finem usque retineat: quin nec possit dicere sine audacia, quod fidem miraculosam habitualem habeat.

(2. Apostolorum.) §. 28. Habuimus exemplum Mosis & Aharonis. Addimus alterum Apostolorum, quod Historia, ex quâ locus ab initio tractatus, exhibet: sed breviter tantùm percurrendum, cùm prægressa meditatio reliqua supplere queat. Adductus est ad Apostolos puer miser dæmonio Lunatico à pueritia vexatus. Rogabantur illi à patre pueri, ut dæmonio expulso eum sanarent, si possent. Hoc namque addendum est, cum homo posteà cum Christo locutus expresè id addiderit. Ut illi possent, non necessarium fuit, ut pater crederet: nam Christus ad quæstionem, cur Apostoli non potuerint ejicere, nihil de patris incredulitate, sed Apostolorum conquestus est. Nec refert, quod Christus posteà fidem à patre pueri requisivit, dicens; *si tu possis credere, omnia possibilia credenti.* Neque enim hoc dixit, quasi fides ipsius esset necessaria, ut ipse Dominus aliquid posset: sed quod tum Dominus non vellet facere, quod petebat, nisi crederet q.d, Ego verò volo, ut tu credas, mihi omnia

omnia possibilia esse: quod si feceris, ostendam tibi, quod possim. Hinc tamen etiam patet, quodnam Objectum fidei eorum fuerit? nim. posse ipsos dæmonium jussu suo ejicere. Ut hoc verò crederent: oportuit eos 1. recordari vocationis promissionisq; Domini sui, potestatisque sibi ab eo factæ ejiciendi etiam dæmonia. 2. huic vocationi promissionique tantâ cum fiduciâ in Dominum suum, tanquam omnipotentem & veracem, inniti: ut 3. in impulsum divinum, quem sine dubio habuerunt aliquem, consentirent, jubentq; dæmoniũ exire, de eventu ex eadem fiduciâ certissimi. Tria hæc ad actum fidei miraculosæ producendum cum divino auxilio necessaria erant. Verùm hîc imprimis fiducia ipsis defuit: ex quo defectu illi incredulifacti sunt; ut Dominus eis exprobrat. Recognovisse namque illos potestatem à Domino sibi factam; nec defuisse assensum in petitum patris pueri, hinc satis manifestum est, quia aliquid conati sunt; non temerè & sine recordatione potestatis sibi factæ, nec sine assensu, cùm haud inviti conati sint, quod conati sunt. Quare defectus fuit in hoc, quod fiducia in omnipotentiam & veracitatem Christi vacillavit ita, ut hæsitatio prævaluerit. Nam ubi fiducia ista non est, assensus, quantuscunque fuerit, temerarius erit & humanus, non divinus; cùm in omnipotentiam & veracitatem Dei non resolvatur, de quâ dubitatur. Reverà itaque divinus assensus & fides non est, sed incredulitas.

circa quod observ. (1.) (2.) (3.)

§. 29. Ex his porrò, quæ hactenus de descriptione fidei miraculosæ dicta sunt: non difficile erit, de *Subjecto*, *Objecto*, *Causa Efficiente*, *natura & formali ratione*, tandemque *Fine & Effectibus* ejusdem *Fidei miraculosæ* judicium ferre. Nam quod III. *Subjectum fidei miraculosæ* attinet: distingui potest in *remotum & proximum*. *Subjectum remotum*, *non* tamen *adæquatum*, sed *inadæquatum*, est Ecclesia Christi vera. Ecclesiam Christi veram intelligo eam, quæ est Christi corpus mysticum. Dico hanc *Subjectum remotum*; quia non omnia membra Ecclesiæ vera statim habent fidem miraculosum, sed quædã tantùm. Unde non sequitur; Hic homo est membrum Ecclesiæ, Ergò habet fidem miraculosam. Voco *Subjectum non adæquatum, sed inadæquatum*; quia non necessariò omnes, qui donum miraculorum, unumque & alterum actum habent miraculosum, statim sunt vera veræ Ecclesiæ membra: etsi pro veritate aliquâ divinâ miraculũ faciant. Ipsi Pontificii negare non possunt, quod

III. Subjectum exponitur. (1.) Remotum & inadæquatum.

quod aliquis omnem fidem miraculosam habere possit, ut montes transferat, charitatem tamen non habeat, nec in gratia apud Deum sit: juxta id, quod Paulus dicit; *Si habuero omnem fidem &c.*

1.Cor.XIII. v.2. 1. Cor. XIII. v. 2. At Ecclesiam esse subjectum remotum fidei miraculosæ, eò quod in Ecclesia sint membra ejus vera, quæ fidem

1.Cor.XII. v.18. miraculosam habeant, colligitur ex 1. Cor. XII. v. 18. *Nunc autem Deus posuit membra, unumquodq; singulatim in corpore, quemadmodum voluit.* Et v. 27. 28. 29. *Vos autem estis corpus Christi, & membra ejus ex parte: & alios quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos &c. Num omnes Apostoli &c.* Cæterum sicut Ecclesia inadęquatum subjectum est ratione personarum; sic etiam ratione temporis. Non enim omnibus temporibus habet membra fide miraculosa prædita: sed quibusdam, prout Deus vult; quomodo etiam Apostolos habet, sed non semper. Non parùm verò hîc Pontificii errant. *Subjectum proximum fidei miraculosæ* sunt homines, plerunq;

(2.) proximũ. de Ecclesia; qui divinam habent vocationem & promissionem, impulsumque, ad miracula perpetranda. Tales fuerunt multi Prophetæ & Sancti in Veteri; Apostoli autem & Apostolici viri in Novo Testamento. Et ad hoc subjectum proximum ferè pertinent ea, quæ suprà passim, in primis in descriptione fidei miraculosæ, de subjecto ejus dicta sunt. Eò minùs de ejusmodi dono fidei miraculosæ hodie gloriari quisquam potest: quò minùs Ecclesia ultimorum temporum de ejusmodi viris miraculorum operatoribus promissiones ostendere potest. Unde magis Pontificiorum

2.Thess.II. gloriatio vana est: nisi pro ea allegare velint, quod 2. Thessal. II. Paulus scripsit; *Cujus est adventus juxta operationem Satanæ &c.*

IV. §. 30. Patet etiam IV. ex dictis, quodnam sit *Objectum fidei*

Objectum (1.) Remotum *miraculosæ.* Quod quidem ut meliùs intelligamus, distinguere illud possumus in *remotum* etiam, & *proximum. Remotum* sunt omnia supernaturaliter possibilia & extraordinaria opera. Dicimus autem *extraordinaria*: ut excipiantur ea opera supernaturalia, quæ Deus per ministeria & media ordinaria in ordine salutis hominum efficit. Hæc namque licet supernaturalia sint, ordinariè tamen fiunt, nec fidei miraculosæ, sed institutioni divinæ attribuuntur; licet in se non minora sint, quam opera fidei miraculosæ. *Supernaturaliter possibilia* etiam dicimus, ut excipiamus opera, quæ juxta ordinem naturæ fiunt, si maximè sint divinæ potentiæ, & in oculis

nostris.

nostris miræ. De istis itaque omnibus supernaturaliter possibilibus & extraordinariis accipiendum est istud Christi ad patrem Lunatici; *Omnia possibilia sunt credenti.* Et alterum Ejusdem ad discipulos; *Et nihil erit vobis impossibile.* Etsi verò non omnia possibilia, sed pauciſſima Deus fecerit omni tempore per hominss fide miraculosa præditos: hoc tamen Objectum remotum fides miraculosa ita respicit, ut Objectum proximum facilius & firmiùs credat. Argumentatur namque; si Deus potest facere per credentem miraculosa fide, quicquid etiam rerum possibilium fuerit: certè potest etiam hoc facere, quod nunc & hîc & hoc modo vult fieri. Hoc Objectum remotum est: quod se etiam ad inversionem ordinis naturæ, ex.gr. translationē montium de loco in locum, transplantationem arborum in mare &c. extendit. At *Objectum fidei miraculosæ proximum* est opus supernaturale possibile extraordinarium, quod Deus in præsenti proponit, & ad id faciendum impellit hominem. Cujusmodi objecta proxima occurrunt in omnibus operibus miraculosis, quæ scriptura refert: ut exemplis non sit opus. Ejusmodi tamen objectum perspicuum habemus in puero Lunatico ab Apostolis sanando: nisi quod ad id credendum & sanationem peragendam fides Apostolis defuit. (2.) proximū.

§. 31. Quæ V. sit *Formalis ratio & natura fidei miraculosæ*, ex superius tradita ejus descriptione constare potest. Cōmune quidē hoc habet cum quacunque alia fide, quod constat notitia, fiducia & assensu: cùm non sit cœcus assensus & consensus in rem incognitam; nec assensus levis aut temerarius in rem, cujus de certitudine fundamentum nullum, & ex fundamento fiducia sit; sed assensus in rem cognitam, cum fundamento fiduciam gignente, & hæsitationē excludente. Sed formalem rationē suam sortitur ab Objecto, quod est, peculiaris divina promissio & impulsus ad impetrandum & faciendum opus aliquod miraculosum supernaturale: quippe in quam promissionem & impulsum divinum fiduciali assensu fertur, ita ut petat cum fiducia eadem, impetret & ministerialiter peragat opus. Juxta hanc suam formalem rationem distincta est fides miraculosa non tantùm ab aliis fidei generibus, sed etiam ab ipsâ fide justificante; ut pridem diximus. Interim non negatur, quod multum ad eam prosit fides justificans. Nam cum Objecta fidei miraculosæ affinia in multis sint, licet non eadem: facilius V. Formalis ratio & natura.

credit unum, qui credit alterum. Faciliùs certè credit, quod Deus miraculum per ipsum facere velit, is, qui scit se per fidem justificatum, & in gratia Dei esse: ut quodam modo fides justificans miraculosæ mater dici queat. Præterea Deus propter justificatos fide justificante, & per eos facit miraculosa opera, eosque fide etiam miraculosâ exornat: quemadmodum in Ecclesiâ primitivâ à Deo demonstratum est per hoc, quod cum baptismo connecti solebant Spiritus Sancti charismata extraordinaria, & inter illa fides etiam miraculosa, prout tamen voluit, & quibus voluit.

VI. Causa Efficiens principalis.

§. 32. *Causa Efficiens principalis* VI. Fidei miraculosæ Deus est Trinunus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Nam de *Deo Patre* testatur Apostolus 1. Cor. XII. v. 6. *Et divisiones operationum sunt, sed idem est Deus efficiens omnia in omnibus.* Et v. 18. *Nunc autem Deus posuit membra, unumquodq; singulatim in corpore, quemadmodum voluit.* Item v. 28. *Et alios quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, deinde Prophetas, tertiò doctores, deinde potestates, deinde dona sanationum, subsidia, gubernationes, genera linguarum.* De *Christo Filio Dei* Apostolus ibid. v. 5. dicit; *Et divisiones ministeriorum sunt, & idem Dominus.* Estque Christus, Filius Dei, Causa Efficiens Fidei miraculosæ, non tantùm secundum *divinam*, sed secundum etiam *humanam naturam*. De Christo namque DEO & homine dictum est; *Et accersitis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatẽ adversus spiritus immundos, ut ejicerent eos, & sanarent quemvis morbum, & quemvis languorem.* Matth. X. v. 1. Idem DEus & homo, est, qui Apostolis suis dixit: *signa eos, qui crediderint, hæc subsequentur; Per nomen meum dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: & si quid lethale biberint, non nocebit eis, super ægrotos manus imponent, & benè habebunt.* Marc. XVI. v. 17. 18. Idem est, de quo dicitur Ibid. v. ult. *Illi verò egressi prædicaverunt ubiq;, Domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia.* Idem est, ad quem septuaginta reversi dixerunt cum gaudio; *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Hoc namque nomen est nomen Jesu Christi Nazareni. Quo expresso usus est Apostolus Petrus Act. IV. v. 6. ad hominem ex utero matris claudum; *In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Quod imitati sunt, & tentaverunt quidam è circumeuntibus Judæis exorcistis invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini JESU, dicen-

1. Cor. XII. v. 6. — v. 18. — v. 28. — Ibid. v. 5. — Matth X. v. 1. — Marc. XVI. v. 18. — Act. IV. v. 6

dicentes; *adjuramus vos per Iesum, quem Paulus prædicat.* Act. XIX. v. 13. Act. XIX. v.13.
iam notum est, quod, quando in nomine DEI opera suscipiuntur & peraguntur, Deus Causa Efficiens principalis designetur: id quod excludi non poterit, quando in nomine Iesu miracula facta dicuntur. *Spiritum Sanctum* porrò etiam esse Causam Efficientem principalem fidei miraculosæ, non tantùm inde patet, quia cum Patre & Filio unus Deus est: sed etiam, quia expressè scriptura eidem charismata quæcunq; adeoq; fidem etiam miraculosam adscribit. Ita namq; iterum Apostolus 1. Cor. XII. v. 4. *Divisiones donorum sunt, sed idem spiritus.* Item v. 7. sqq. *Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad id, quod expedit: nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ; alij verò sermo scientiæ per eundem spiritum &c. Sed omnia hæc efficit unus ille & idem spiritus, dividens unicuiq;, sicuti vult.* Ex quibus ultimis verbis, κ. θ. ὡς βέλει, *sicuti vult*, collatis, quæ v. 18. extant; *Nunc autem Deus posuit membra, unumquodq; singulatim in corpore*, κ. θ. ὡς ἠθέλησεν, *quemadmodum voluit*, consequitur hoc etiam, quod Deus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, sit Causa principalis fidei miraculosæ *liberrima*; non ideò, quod certum aliquem ordinem ejus consequendę instituerit, sicut ordinem salutis instituit; sed quod liberum sibi reservaverit, extra ordinem conferendi fidem miraculosam, cui voluerit: ut ne eos quidem excluserit, qui fidem justificantem non habent. Est porrò Deus Causa Efficiens principalis fidei miraculosæ, non tantùm ratione *initij*, sed etiam ratione *augmenti*. Quò non malè referunt illud, quod Discipuli ad Dominum dicunt; *Domine, adauge nobis fidem* Luc. XVII. v. 5. Nam de fide miraculosa ibidem sermonem esse, testantur verba Christi v. 6. v. 4. v. 7 sqq. v. 18.

§. 33. Quantum VII. ad *Causam minùs principalem fidei miraculosæ*; sive extra ipsum actum existimaverit quis, esse aliquam fidem miraculosam habitualem, sive consistere eam tantùm in vocatione & promissione, potestatem & facultatem dante faciendi suo tempore miracula, quomodo morale potius quid, quàm physicum seu inhærens, erit, certificans de futuro eventu & effectu, neque initii, neq; augmenti Causa Efficiens minùs principalis homo est ita, ut quicquam de suo conferat: sed Deus hactenus Causa non tantùm principalis, sed unica quoq; est. Quod ex iis, quæ modò dicta sunt, clarum est. Cum namq; Deus fidem miraculosam liberrimè conferat etiam fidelibus, tàm ratione initii, quàm augmenti, prout ipse vult, solus certè facit, quod facit, Et adeò hoc verum est, ut ne quidem, tanquā Causa Meritoria, conferat quid homo, si maximè Apostol⁹ fuerit. Hoc namq; est, quod Christus ad Apostolos petentes, *Adauge nobis fidem*, dixit; *si habeatis fidem sicut granum sinapis, dicere poteritis sycamino huic; Eradicare, & transplantare in mare, & obediverit vobis.* Contenti ergò, vult dicere, estote; sat namq; habetis. Nec cogitate de merito aliquo vestro, propter quod augenda fides vobis sit. *Quis* enim *vestrum servum habens arantem aut pascentem, qui egresso ex agro dicat statim; transi & accumbe &c.* Luc. XVII. v. 5. sqq. Act. III. v. 12. *Quid*, inquit Petrus, *intuemini nos quasi nostrâ virtute aut pietate effecerimus, ut hic ambularet?* Sed quod fidem miraculosam actualem concernit initium primò ejus sine dubio liberrimo Dei motui seu impulsui atque prævenienti adscribendum est, cùm temere aliquid tentetur, quando divinus impulsus non adfuerit. Cujusmodi temeritas illorum fuit Iudæorum, qui tentaverunt invo- VII. Causa minùs principalis, an aliqua sit? Luc. XVII. 3. Ibid. v. 5. Act. III. v. 12.

Act. XIX. v. 13. invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu. Act. XIX. v. 13. deinde tamen homines saltem fideles, qui idonea per vocationem, promissionem, ipsumq; impulsum divinũ subjecta sunt, ad actum fidei miraculosæ cooperari: partim ex eo discitur, quod scriptum est; *Illi verò egressi prædicaverunt ubiq;* τοῦ Κυρίου συνεργοῦντος, *Domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia* Marc. XVI. v ult. partim ex eo, quod Dominus dicit; *Amen dico vobis, quod quicunq; crediderit, fore, quæ dixerit, erit illi, quicquid dixerit: quæcunque orantes petitis, credite, quod accipietis, & erunt vobis.* Marc. XI. vers. 23. sq. Vt de hoc non dicamus, quod fidem justificantem Christus, Paulus charitatem vult conjungi. Ille, quando dicit; *Et quum steteritis orantes, remittite, si quid habetis adversus aliquem* (cui inprimis miraculo benefacere debetis) *ut & Pater vester, qui in cœlis est, remittat vobis delicta vestra.* Marc. XI. v. 25. Conf. Act. III. v. 16. 1. Cor. XIII. v. 2. Hic verò, quando scribit; *si habeam omnem fidem, adeò ut montes loco dimoveam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* 1. Cor. XIII. v. 2. Et quare Dominus tàm graviter reprehendit discipulos; *O natio incredula & distorta, quousq; tandem ero vobiscum?* si nihil cooperari potuerunt.

Marc. XVI. v. ult. Marc. XI. v. 23. Marc. XI. v. 25. Act III. v. 16. 1. Cor. XIII v. 2.

IIX. Finis. §. 34 *Finis* IIX. *Fidei miraculosæ summus* omnium est gloria Dei, non hominum; ne illorum quidem, qui fidem miraculosam habent. Egregiè Apostolus Petrus ad populum Iudaicum concionatus est; *Viri Israëlitæ, quid miramini super hoc? aut nos quid intuemini, quasi nostrâ virtute aut pietate effecerimus, ut hic ambularet? &c. Deus suscitavit* (Iesum) *à mortuis, cujus nos testes sumus: & per fidem nominis ejus, hunc, quem videtis & nostis, consolidavit nomen ipsius: & fides, quæ per ipsum est, dedit ei integritatẽ istam in conspectu omnium vestrum.* Act. III. v. 12. 15. 16. Sed de hoc fine omnium summo nemo pius dubitaverit: nisi quod hoc obliviscì non debemus, hunc finem gloriam Christi includere; vi verborum allegatorum. *Finis ex parte hominum* in genere, est τὸ συμφέρον, *utilitas.* Ita namq; D. Paulus; *Vnicuiq; verò datur manifestatio spiritus* πρὸς τὸ συμφέρον, *ad id, quod expedit.* 1. Cor. XII. v. 7. Quod συμφέρον, *utile*, primò quidem concernit Ecclesiam & fideles. Nam *alios quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos &c.* 1. Cor. XII. v. 28. *Quoties convenitis, unusquisq; vestrum canticum habet &c. omnia ad ædificationem fiant.* 1. Cor. XIV. v. 26. deinde etiam incredulos: *Linguæ in signum sunt, non credentibus, sed incredulis.* ibid. v. 22

1. Cor. XII. v. 7. Ibid. v. 28. & v. 26. ib. v 22.

IX. Effectus. §. 35. & ult. Tandem IX. *Effectus fidei miraculosæ* multiplices & varii sunt. Distinguere possis in *possibiles & actuales. Possibiles*, sunt omnia opera supernaturalia, divina & extraordinaria. Quemadmodum hoc probant verba Salvatoris ad discipulos; *Et nihil erit impossibile vobis:* de quibus suprà actum est. Item; *Amen dico vobis; Quicunq; crediderit, quæ dixerit, erit illi, quicquid dixerit* Marc XI. v. 23 Sed *Effectus actuales*, cùm non omnes scripti sint, recensere etiam non possumus. Varios autem omnisq; generis fuisse, simulq; innumerabiles & maximos, ex iis, quos scriptura inprimis habet, certum nobis est. *Multaq; prodigia & signa per Apostolos edebantur.* Act. II. v. 43. Nec dubium est, quin impletum in Apostolis sit, ad quod Christus ipsos misit; *ut ejicerent spiritus immundos, & sanarent quemvis morbum, & quemvis languorem* Matth. X. v. 1. nam *& dæmonia ipsis se subjiciebant in nomine Iesu.*

Marc. XI. v. 23. Act. II. v. 43 Matth. X. v. 1. Luc. X. v. 17.

Luc. X. v. 17 Posset una hìc atque altera quæstio contra Pontificios inprimis subjici; sed finiendum tandem est; quod facimus dicentes,

SOLI DEO GLORIA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0054
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0055
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0056
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0057
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0058
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0059
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0060
DFG

Act. XIX. v. 13. invoc… habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu. Act. XIX. v… homines saltem fideles, qui idonea per vocationem, promi… ; impulsum divinũ subjecta sunt, ad actum fidei miraculo… rtim ex eo discitur, quod scriptum est; *Illi verò egressi præd… τοῦ Κυρίου συνεργοῦντος, Domino cooperante, & sermonem confir… subsequentia* Marc. XVI. v ult. partim ex eo, quod Marc. XVI. v. ult. Domi… *dico vobis, quod quicunq; crediderit, fore, quæ dixerit, erit il… erit: quæcunque orantes petitis, credite, quod acci-* Marc. XI. v. 23. *pietis…* Marc. XI. vers. 23. sq. Vt de hoc non dicamus, quod… tem Christus, Paulus charitatem vult conjungi. Marc. XI. v. 25. Ille, q… *t quum steteritis orantes, remittite, si quid habetis ad-* Act III. v. 16. *versu…* primis miraculo benefacere debetis) *ut & Pater ve-* *ster, q… ittat vobis delicta vestra.* Marc. XI. v. 25. Conf. Act. III. v. 1. Cor. XIII v. 2. 16. H… cribit; *si habeam omnem fidem, adeò ut montes loco di-* *move… utem non habeam, nihil sum.* 1. Cor. XIII. v. 2. Et quare Dom… r reprehendit discipulos; *O natio incredula & distor-* *ta, qu… vobiscum?* si nihil cooperari potuerunt.

IIX. Finis. non h… IX. *Fidei miraculosæ summus* omnium est gloria Dei. giè A… orum quidem, qui fidem miraculosam habent. Egre- *quid… d populum Iudaicum concionatus est; Viri Israëlitæ,* *tate e… c? aut nos quid intuemini, quasi nostrâ virtute aut pie-* *jus no… ambularet? &c. Deus suscitavit* (Iesum) *à mortuis, cu-* *conso… & per fidem nominis ejus, hunc, quem videtis & nostis.* Act III. v. 12. 15. 16. *in con… ius: & fides, quæ per ipsum est, dedit ei integritatẽ istam* summ… *estrum.* Act. III. v. 12. 15. 16. Sed de hoc fine omnium finem… bitaverit: nisi quod hoc oblivisci non debemus, hunc *homi…* includere; vi verborum allegatorum. *Finis ex parte* 1. Cor. XII. v. 7. *rò da… τὸ συμφέρον, utilitas.* Ita namq; D. Paulus; *Vnicuiq; ve-* v. 7. Q… *spiritus πρὸς τὸ συμφέρον, ad id, quod expedit.* 1. Cor. XII. Ibid. v. 28. *alios… le,* primò quidem concernit Ecclesiam & fideles. Nam *Quot… us in Ecclesia, primùm Apostolos &c.* 1. Cor. XII. v. 28. & v. 26. *tione… squisq; vestrum canticum habet &c. omnia ad ædifica-* ib. v 22. *sunt,* V. v. 26. deinde etiam incredulos: *Linguæ in signum* IX. *sed incredulis.* ibid. v. 22

Effectus. § IX. *Effectus fidei miraculosæ* multiplices & varii sunt. Disti… *possibiles & actuales. Possibiles,* sunt omnia opera super- natu… traordinaria. Quemadmodum hoc probant verba Sal- vator… ; *Et nihil erit impossibile vobis:* de quibus suprà actum est. It… *vobis; Quicunq; crediderit, quæ dixerit, erit illi, quicquid* Marc. XI. v. 23. *dixer…* Sed *Effectus actuales,* cùm non omnes scripti sint, re- cens… ssumus. Varios autem omnisq; generis fuisse, simulq; innu… imos, ex iis, quos scriptura inprimis habet, certum Act. II. v. 43 nobi… *digia & signa per Apostolos edebantur.* Act. II. v. 43. Nec dubi… letum in Apostolis sit, ad quod Christus ipsos misit; Matth. X. v. 1. *ut eji… mundos, & sanarent quemvis morbum, & quemvis lang…* 1. nam *& dæmonia ipsis se subjiciebant in nomine Iesu.* Luc. X. v. 17. Luc… a hîc atque altera quæstio contra Pontificios inprimis …niendum tandem est; quod facimus dicentes,

SOLI DEO GLORIA.

UB Rostock 0514000 309
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
the scale towards document
Inch mm

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn798398329/phys_0061
DFG